COMP
HVNG

Ex Oblatione Sp. Dni
Curatoris Michaelis
Teleki

3572.
726. iii.
I.

L. B. H. Z. Ud. Reff. in
Censum venit Sub Rect.
Profes. Michaele Szigeti
et Bibliothecario Johan
ne Szentsa 1803

Haáz Rezső Múzeum
Tudományos Könyvtára
Székelyudvarhely




O cara Patria, quae me genuiſti, dulcis Pannonia!

Se. Zeller ſc. Posony

# COMPENDIVM HVNGARIAE GEOGRAPHICVM,

AD EXEMPLAR

NOTITIAE HVNGARIAE NOVAE HISTORICO-GEOGRAPHICAE,

MATTHIAE BEL,

IN PARTES IV.

VTPOTE,

HVNGARIAM CIS-DANVBIANAM, TRANS-DANVBIANAM, CIS-TIBISCANAM, TRANS-TIBISCANAM, ET COMITATVS, DIVISVM.

*Cum Permiſſu Superiorum.*

*POSONII,*

LITTERIS IOANNIS MICHAELIS LANDERER, TYPOGRAPHI. MDCCLIII.

SZÉKELYUDVARHELYI EV. REF. KOLLEGIUM KÖZKÖNYVTÁRA

1220

# CONSPECTVS COMPENDII GEOGRAPHICI HVNGARIAE.

PARS I. GENERALIS.

Tradit Geographiam Hungariae generatim. pag. 1.

PARS II. SPECIALIS.

Exponit Geographiam Hungariae ſpeciatim. pag. 12.

MEMBRVM I.

De Hungaria Cis-Danubiana. pag. 12.

MEMBRVM II.

De Hungaria Trans-Danubiana. pag. 47.

MEMBRVM III.

De Hungaria Cis-Tibiſcana. pag. 73.

MEMBRVM IV.

De Hungaria Trans-Tibiſcana. pag. 103.

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára Székelyudvarhely



## PARS I.

TRADIT

GEOGRAPHIAM

# HVNGARIAE

GENERATIM.

§. I.

HVNGARIA, totius Europae Regnorum, pulcherrimum eſt. Nam, & ſitus amoenitate, & foecunditate, oppido excellit. Proinde, nec ſolo, nec coelo, vlli Regno ſecundum eſt. Vnde, & Hungarorum illud prouerbium, coepiſſe dicas: *Extra Hungariam non eſt vita, ſi eſt vita, non eſt ita.* Et habent, profecto, cur hoc glorientur Hungari. Nam, nec annonam, nec metalla, praeſtantiſſima etiam, aut alia commoditatis ſubſidia, deſideraueris.

§. II.

Quod ad *poſitum regionis* adtinet, ad *orientem* quidem Tranſiluaniae & Valachiae proximat Hungaria; *occidentali* parte, Morauiam, Auſtriam ac Stiriam, adtingit. Qua vero in *ſeptentrionem* vergit regio, ad Sileſiae, Poloniae, Ruſſiae, nec non Moldauiæ confinia, procurrit; in *meridie*, Valachiae & Slauoniae limitibus terminatur.

§. III.

Situs *temperamentum*, ſi exacte ſpectauerimus: praeſtantiſſimum merito dixerim. Nec montes enim ſiluigeri, nec ſua, regno, & amoena, & foecunda, deficit planities.

 §. IV.

§. IV.

Montes *Carpathici*, regnum, ſemiformis lunae ſpecie, inde a Poſonio, ad Moldauiam vſque, ac Tranſiluaniam, Morauiae, Sileſiae, Poloniae Ruſſiaeque, finibus occupatis, incingunt. Quare diuerſa etiam nomina accipiunt.

§. V.

Radices *Montium*, longius porriguntur. Pleroſque enim Comitatus replent: Poſonienſem, puta, Nitrienſem, Trentſchinienſem, Thuroczienſem, Aruenſem, Liptouienſem, Solienſem, Barſchienſem, ac Saaroſienſem, Honthenſem, Gömörienſem, Tornenſem & Scepuſienſem. Parte quadam, etiam Zemplinienſem, Unghenſem, Ugotſchenſem, Maramaruſienſem, cum Szolnok mediocri, occupant.

§. VI.

In Zolienſi, Liptouienſi, Barſchienſi, Honthenſi, Gömörienſi, ac Scepuſienſi Comitatu, non exiguae virtutis eſt *Carpathus.* Aurum praebet, praebet argentum etiam, cuprum, ferrum, plumbum, & quae reliqua metallorum ſunt genera. Quin, & cinnabarim, mercurium, auripigmentum, ſulphur, cet. Quae ſingula, & bonitate, & copia, excellunt.

§. VII.

In Comitatu Zemplinienſi, vbi miteſcunt iuga, nobile illud *Tokaienſe vinum*, ſeptem milliarium tractu, naſcitur; & id quidem, a ſeptentrione in meridiem, iuxta Tibiſcum.

§. VIII.

In Maramaruſienſi, inexhauſtae illae Regales ſalifodinae reperiuntur, vbi, vulgo ſic dictum *ſal gemmae* immenſa copia effodiunt, quod, Tibiſco demum impoſitum, longe lateque, regni prouinciis, ſubuehitur.

§. IX.

*Ferarum* genera, quae his montibus aluntur, vix enumerauerimus: cerui, damae, capreae, lepores, vrſi, lynces, lupi, vulpes, apri, mures alpeſtres, & quae reliquae ſunt, Carpathum ſuum quaſi occupant. Par & auium ſilueſtrium copia, his montium iugis, contigit.





§. X.

*Lignationem* etiam prorſus inexhauſtam, immo & arborum infinita genera, idem exhibet Carpathus. Potiſſimum vero in Comitatu Liptouienſi, & Caeſareopolis regione, anonymon quoddam arboris genus, vulgo *Limbaum* dicunt, magni aeſtimatur: eo quod, ſpeciem cedri, non ob eius ſoliditatem ſolum, ſed perennitatem etiam, exiſtimant. Id digniſſimum, profecto, memoratu eſt, arboris hanc ſpeciem, alibi locorum minime expertam, nec vermes alere, nec pati tineas.

§. XI.

Vbi radices montium Carpathicorum deſinunt, *planities* incipit. Quae, Comitatus Peſt, Solth, Heues, Szolnok Exteriorem, Cſongrad, Bács, & Bodrog, continet: ita tamen, ut tres priores illos, parte quadam; reliquos vero integros, Danubium inter & Tibiſcum, occupet.

§. XII.

Haec Hungariae planities, ſi *longitudinem* eius ſpectaueris, ad 40. excurrit milliaria; ſi latitudinem, 20. nonnusquam efficit. Dum ad confluentes Danubii & Tibiſci in *cuneum* deſinit, *Jazygum Metanaſtarum* reliquiae, & *Cumani Minores*, colunt. Sermone hi moribusque, cum Hungaris conueniunt. Eadem haec ora, pingues illos boves alit, quorum annuatim 120000. circiter, e regno aguntur. Hucusque fuit, inter Tibiſcum atque Danubium.

§. XIII.

Par, *regionis vltra Tibiſcum*, ad Tranſiluaniam vſque, *conditio* eſt. *Limites*, inde a Maramaruſienſi Comitatu, vbi Tibiſcus oritur, per Szolnok Mediocrem; Diſtrictum Kővár; Comitatum Kráſznenſem; Biharienſem; Békeſienſem, Zarandienſem, Aradienſem, atque Temesvárienſem prolati, *ſinus* quosdam *montis Carpathi* conſtituunt, diuerſis poſtea nominibus inſignitos. Quod reſiduum regionis ad Tibiſcum eſt, quodque ad occidentem vergit, planiſſimum eſt, atque ob fluuiorum paludumque copiam, rei peſcariae commodiſſimum.

§. XIV.

Trans Danubianae regioni, ſeu, proprie ſic dictae *Pannoniae*, eadem, & montium, & frugiferi campeſtris agri, contigit amoenitas, montibus *Cetiis*, qui ad flumen Laitham initia capiunt, indeque in Stiriam vsque protenduntur, territorium, ab Auſtria Stiriaque diſterminantibus. Tota profecto ea regio, inde a Croatia & Boſnia, montibus ſecernitur. In ipſo fere meditullio, ſilua *Bakony* ſita eſt, quae duodecim quidem in longitudinem, in latitudinem vero 3.4. immo & alicubi 5. milliaria, poſtquammultos complexa eſt montes, continuatur.

§. XV.

Haec regio, & vini *ferax* eſt, & frumenti. Immenſam, praeterea, pecoris copiam alit. *Montibus* vero, quod bene notandum, ſaliſque fodinis, deſtituitur.

§. XVI.

Conſideratis pleriſque Hungariae opportunitatibus, ad *Fluuios* iam deſcribendos accedendum eſt. Tam nobiles vero ii ſunt, vt & Regni inſignibus inſerantur. Praecipui horum ſunt:

1. *Danubius*, Hungaris *Duna*, Slauis **Dunag**, Germanis **die Donau**, dicitur. Ab occidente hic, ad ſecundum ab vrbe Poſonienſi lapidem, Regno adfluit. Inde ad Poſonium, in tria praecipue abit brachia, quorum medium, quod eſt vaſtiſſimum, *Inſulam*, vulgo **Schütt**, Hungar. *Cſallo-Köz* dictam, efficit. Quae, inde a Poſonio, vsque Comaromium, protenditur.

In tres ea partes diſpeſcitur. Media, reliquas amplitudine antecellit: ita tamen, ut potior eius pars, ad *Poſonienſem* Comitatum referatur; vlteriore, quae ſunt Inſulae, Comitatui *Comaromienſi;* quae vero meridiem ſpectant, *Moſonienſi* partim, partim *Jaurinenſi* Comitatui, adiudicentur. Ad Comaromienſe propugnaculum, tres hi Danubii aluei, inaequaliter licet, iterato tamen, confluunt. Vnde demum Danubius, pleno alueo, Strigonium ſubterfluens, *Comaromienſem* ac *Strigonienſem* Comitatum perluit. Poſtea vero, planitiem egreſſus, altis ſe montibus, ad Wiſſegradum vsque, inſinuat. *Inſulam*

ibi-



ibidem, *S. Andreae* vulgo dictam, molitur. Hinc demum, ſiniſtro quidem alueo, Waczinum; dextro, Veterem Budam, vnito denuo, deproperat. Antequam vero, eam adluat, *Leporum Inſulam*, communiter ſic eam nuncupant, facit; quae, inter ſeceſſus olim Regios, excellentiſſimos quidem eos, habebatur. Nunc, neſcio qua temporum iniquitate, inculta eſt. Poſtea, vbi acceſſit propius, viciſſim vnita, Budam ſimul & Peſtinum praeterfluit. Vix medium ab vrbe lapidem proceſſit, quin denuo *Inſulam Cſepely* efficiat; quae, aliquot in longitudinem milliaribus porrecta, egregiis inſidetur vicis. Principi EUGENIO, nuper admodum a CAROLO VI. Caeſare Auguſtiſſimo, amoeniſſimus hic olim Regum Hungariae ſeceſſus, haereditario iure, oblatus eſt. Danubius hic, inde a Vaczino profluens, tres vnitos profluit Comitatus: *Peſtienſem*, puta, *Pilis* atque *Solth;* vsque dum, a meridie, *Tolnenſem* atque *Baranyienſem;* a ſeptentrione vero *Báts* & *Bodrogienſem*, adſequatur. Poſtea, vbi, a ſeptentrione Tibiſco, ab occidente Drauo & Sauo iunctus procedit: *Belgradinum* ſubterfluit; atque latere ſeptentrionali, *Temeſuarienſem* Comitatum, Banatumque *Seuerienſem*, duodecim milliarium tractu, irrigat, atque ita, regione hac *Seruiam* ab Hungaria, disiungit. Mappa Danubiana Comitis Marſiglii inde a 30. vel 40. annis, magnam paſſa eſt mutationem.

2. *Tibiſcus*, Hungaris *Tiſzſza;* Germanis **die Theiß;** Slauis **Tyſſa**, in Comitatu *Maramaruſienſi*, gemino fonte naſcitur; quorum dexter, Niger; ſiniſter, Albus dicitur. Vterque, in altiſſimo Carpatho ſcatet; ac, antequam arcem *Huſzt*, & *Ugotſenſem* Comitatum adluit: multos ingentesque fluuios, recipit; poſtea vero, in Comitatum *Unghvár* immanat. Vsque eo, montoſam regionem, a ſeptentrione in occidentem, limpidus permanauerat. At, vbi planitiem, pone *Zemplinienſem* Comitatum, ingreditur; atque ab oriente, fluuio Számos, in *Szaboltſenſi* Comitatu, iungitur: turbidus tardusque, eo tamen piſcoſior, procedit. Poſteaquam *Tokaynum* adtigit: in meridiem ſumma vi fertur; ſed, lento adeo latoque al-



ueo;

ueo; vt in quam partem fluat, vix dignoſci poſſit. Hoc habitu, e collimitio Zempliníenſis & Szaboltſenſis Comitatus, per confinia *Borſodienſis, Heueſienſis, Szolnok Exterioris, Cſongradienſis, Cſanadienſis & Temeſuárienſis* illinc; hinc *Báčſienſis* & *Bodrogienſis* defluit; ac poſtquam 60. cum Meandris vero 100. milliaria, Hungarica tamen, emenſus eſt, infra Titul, in *Danubium* influit.

§. XVII.

Vltra *Danubium* ſunt, maiores fluuii:

1. *Drauus*, Hungaris, *Dráva* nuncupatus.

2. *Sauus*, Hungaris *Száva* dictus. Ambo hi, ab occidente proueniunt. Ille quidem, Simegienſem Comitatum atque Baranyienſem permanat. Itaque, limites Hungariae & Slauoniae conſtituit. Hic, id praeſtat commodi, quod Hungariam, a Boſnia Seruiaque, diſterminet.

3. *Sár-Viz* oritur, in ſiluis *Bakony*, ſupra Palotam oppidum; poſteaque manufacto alueo, Albae Regali quadamtenus adfuſus, fertur verſus Simonytornam, per medium, pone Comitatum Tolnenſem; vbi demum, *Siuo* amne auctus, Batham oppidum praeterfluens, Danubio iungitur.

4. *Raba*, e finibus Stiriae, regno allabitur, perluitque Comitatum *Caſtriferrei*. Inde, *Sopronienſi* adfuſus, pergit in Comitatum *Jaurinenſem*. Ibi, ſub ipſis vrbis propugnaculis, exit in Danubium.

5. *Leitha*, in *Auſtria* natus, limitaneus aliquantisper, inter Auſtriam & Hungariam immanat: dum flexo in orientem alueo, per regiunculam Comitatus *Moſonienſis*, ad Ouárum, Germanis Ungriſch Altenburg, Danubio miſcetur.

§. XVIII.

Eadem Trans Danubiana regione, ſunt lacus:

1. *Peiſo*, Hungaris *Fertö;* Germanis Neuſidler See, diffunditur intra Sempronienſem & Moſonienſem Comitatum, quatuor milliarium longitudine, latitudine duorum. Emittit amnem *Rábczam*, qui, ad Jaurinum, cum Danubio confluit.

2. *Ba-*



2. *Balaton*. Germanis Blatten See, ſtagnat inter Comitatus, hinc Szaladienſem & Veſzprimienſem, illinc Simigienſem; longus milliaria 12. latus 2. paſſim ſesqui, extra modum piſcoſus. Ex eo demum, amnis *Siuo*, praecipiti alueo, emanat.

§. XIX.

Intra *Danubium* & *Tibiscum*, notari merentur amnes:

1. *Vagus*, Hungaris *Vág-Viz*, Slauis Wah, Germanis die Waag, in Liptouienſi Comitatu naſcitur, in Carpathi radicibus, qua is maxime incipit adtolli. Geminus huic quoque fons, vltra vicum Wázetz. Infinitis, propemodum, riuis & torrentibus, vltra *Liptouienſem* Comitatum, auctus, ſub monte Fatra, Germanice der Vater, in *Thuroczienſem* Comitatum elabitur; quem, vbi ſeptentrionali ora ſtrinxit, accepto iam ante, amne *Oravva*, confragoſa valle, fertur in Comitatum Trentſchinienſem. Huc vsque, ex aquilone in occidentem, vehebatur; ſed, vbi Zolnam, Germanis Zilein oppidum, praetervectus eſt: curſum vltra arcem Budetin, in meridiem flectit. Secat Comitatum *Trentſchinienſem* fere medium, adlabiturque liberae ac regiae vrbi Trentſchinienſi: dum infra Vág Uihely, Germanis Neuſtádel an der Waag, in Comitatum *Nitrienſem* euadit. Huc vbi peruenit, Leopoldopolim dextro, ſiniſtro margine Galgocz, Germanis Freyſtádel adtingit. Poſtea, perpetuus fere Comitatus *Poſonienſis* diſterminator eſt: dum in ramum Danubii ſeptentrionalem exit, ac demum, *Comaromio* ſuffunditur. Rapidiſſimus amnis, & frequenti eluuione, adſitae regioni, damnoſiſſimus.

2. *Granus*, Hungaris *Garam*, Slauis Hron, Germanis die Gran, in Comitatu *Gömörienſi*, ſub nobili illo monte regio, Slaui Králowá Hola dicunt, oritur. Poſteaquam regione illa, aliquot proceſſit milliaria: in *Zolienſem* Comitatum immanat, & liberam regiamque ciuitatem Brezno-Bányam, praeterfluit; vsque dum ad Neoſolium accedat. Vnde, Vetuſolium verſus, flexo tamen alueo, fertur. Per vallem *Barſchienſi* Comitatui adlapſus, oppidum S. Crucis, quod, in Diplomatibus,

 Con-

Conuentus S. Benedicti iuxta Gron, dicitur; atque, veterem & nouam Barſch, adluit. Poſt haec, vbi Comitatum *Strigonienſem* pererrauerat: medio a munimento Gran milliari, in Danubium exit. Inde, a fontibus, vsque ad exitum in Danubium, 24. milliaria praecipiti curſu emenſus.

3. *Ipola*, Hungaris *Ipoly;* Germanis die Eugel, in iis Comitatus *Neogradienſis* montibus naſcitur, qui in ſeptentrionem vergunt. Fertur demum in meridiem, usque dum, medio a *Strigonienſi* caſtro milliari, in Danubium, aduerſa ripa, mergatur. Dum intra montes vehitur, limpidus eſt; limo inquinatus, qua planam regionem pererrat.

4. *Zagyva*, in radicibus montis *Mádra* editus, labitur pone oppida Páſztó, & Hatvan. Interluit poſtea oppidum Jáſz Berény. Fertur inde, campeſtri alueo; exitque in Tibiscum ad Szolnok propugnaculum. Fontes in Neogradienſi ſunt Comitatu. Reliquum fluminis, *Heueſienſem*, & *Szolnokienſem* Comitatum pererrat. Siccis aeſtatibus, tam eſt aquarum inops; vt alueum prorſus, exuctum relinquat ſiticuloſumque.

5. *Sajó* habet capita, apud *Gömörienſem* Comitatum. Vnde, per *Borſodienſem*, acceptis innumeris amniculis, praeceps labitur; rigatoque copioſo oppido Miskoltz, tandem Tibisco mergitur, curſu ex occidente aeſtiuo, in orientem porrecto. Vltra ſunt:

6. *Hernad*, apud *Scepuſios* editus, & variis commixtus amnibus; eo nobilis, quod, Caſſouiae ſuffundatur; antequam Tibiscum ſubeat.

7. *Bodrogh*, *Zemplinienſis* Comitatus amnis, confluit cum Tibisco, ad Tokainum.

8. *Ungh*, cognominis *Comitatus* fluuius, ex Carpatho, Poloniae diſterminatore, deiectus, eadem illa, qua ortus eſt, regiuncula, exit in Tibiscum, flexuoſo tramite, ex aquilone in meridiem defertur.

9. *Laborcza*, & 10. *Latorcza*, eiusdem *Unghenſis* Comitatus, vndoſi rapidique amnes, a Tibisco abſorpti. Vt iam, *Maramaruſienſes* amnes, taceamus.





§. XX.

Trans *Tibiscum*, ex Carpatho & Tranſiluaniae collimitio orti, feruntur ab oriente in occidentem brumalem, miſcenturque Tibisco. Sunt vero:

1. *Számos*, latine *Samoſius*, oritur in Tranſiluania; indeque egreſſus, fertur per Diſtrictum *Kövarienſem*. Poſtea, Comitatum *Szathmarienſem* ſubit; ibique Szathmár & Némethi, coadunata oppida, Inſulam molitus, circumfluit; inde in Szaboltſenſem Comitatum effuſus, in Tibiscum influit.

2. *Kraſzna*, in *Kraſznenſi* Comitatu oritur; eoque irrigato, exſpaciatur ad *Szathmarienſem;* poſteaque paluſtri admodum alueo in *Szaboltſenſem* prouehitur; vbi demum cum *Számoſio* confluit.

3. *Fekete-Kéres*, alii *Körös* ſcribunt, latine *Niger Chryſius*, naſcitur in Comitatu *Biharienſi*. Vnde profuſus, in *Zarandienſem* illabitur, multorum amniculorum incurſu turgeſcens. Hic vbi aliquantiſper demanauit, miſcetur,

4. *Fejér-Kéres*, ſeu *Albo-Chryſio*, ex Tranſiluania elabenti. Longo is tractu, regionem *Zarandienſem*, interluit: dum ad Gyulam, Comitatui *Bekeſienſi* ſe infundat; indeque ad *Cſongradienſes* delatus, aduerſa Cſongrad oppido, ripa, Tibisco immergatur. Qua intra montes labitur, aureas vehit arenas, hinc & Chryſii nomen.

5. *Szebes-Kéres*, id eſt, *Velox Chryſius*, itidem apud *Biharienſes* editus, atque vltra oppidum Békes, vtrique illi Chryſio coadunatus, eodem alueo, quem nunc diximus, euadit in Tibiſcum.

6. *Berettyó*, ramus quaſi quidam Tibisci, ſinuoſo alueo e lacuſtribus vndis, apud *Biharienſes*, & *Szaboltſenſes* natus.

7. *Máros*, latine *Maruſius*, fontes in Tranſiluania habet, Hungariam vero, in *Aradienſi* Comitatu ſubit, cumque hic, olim *Temeſuarienſi* prouinciae limitaneus, demanaſſet, *Cſanadienſem* Comitatum perluit, poſteaque ibidem in Tibiscum incurrit.

8. *Temes*, inſignis amnis, quique Comitatui, quin & arci, nomen impertiuit: tametſi ad duo milliaria, inde ſeiunctus manet. Hi ſunt memorandi Hungariae fluuii. Reliquos percenſere, operis foret infiniti.

§. XXI.

Tota alioquin *Trans-Tibiſcana* Regio, *paludibus* ſcatet, quae auibus aquaticis, & id genus animalibus, refertae ſunt.

§. XXII.

Hungaria, generatim tota res multas continet, admirationis maximae. Vt ſunt *Antra*, in quibus adulta iam aeſtate, gelu reperitur; *Fontes* mirandorum effectuum; *ſubterranei* piſcoſique ſimul *Fluuii.* Imprimis vero, *Thermis* excellit Hungaria; quarum praecipuae ſunt: *Agrienſes* in Heueſienſi; *Budenſes* in Piliſienſi; *Strigonienſes* in Strigonienſi; *Tatenſes* in Comaromienſi; *Wihnenſes* in Hontenſi; *Szklenenſes* in Barſchienſi; *Stubnenſes* in Thuroczienſi; *Lutskenſes* in Liptouienſi; *Trentſchinienſes* in Trentſchinienſi; *Biliczenſes* & *Pôſthényenſes* in Nitrienſi; *Raietzenſes* in Trentſchinienſi; *Tabolczenſes* in Scepuſienſi; *Ribarienſes* in Zolienſi; & denique *Magno-Varadienſes* in Varadienſi, Comitatibus, reliquae.

§. XXIII.

*Aer Hungaricus*, in montana, quam in campeſtri regione; cumprimis quae fluuio Tibiſco interluitur, multo eſt ſalubrior. In hac, namque, propter effluuia, quae, ex paludibus, & ſtagnantibus aquis, exaltantur noxia, plerumque, vel hominibus, vel pecori, eſt pernicioſus.

§. XXIV.

Eadem & *aquarum* eſt conditio. *Fontes amneſque*, qui in montibus reperiuntur, *limpidi* ſunt, immo & maxime *ſalubres;* qui vero ad metalli fodinas ſcatent, *ſabuloſi* ii, & ob mineralium effluuia, hinc & inde, ſtrumis procreandis, idonei. Nec ſua planitiei deeſt ſalubris aquae copia; vt innumeras taceam acidulas. Fatendum tamen eſt, multis in regionibus Hungariae, aquam ſalubrem deſiderari.

§. XXV.



§. XXV.

Si poli *eleuationem*, in Hungaria, conſiderare voluerimus: ad 48. gradum, ea, procurrit. Nos eam, in praecipuis Hungariae locis, ſecundum *Samuelis Mikovini* obſeruationes, adponimus.

| | Grad. | Min. |
|---|---|---|
| Poſonii - - - | 48. | 8. |
| Schemnitzii in Montanis - - | 48. | 29. |
| Cremniczii - - - | 48. | 44. |
| Trentſchinii - - - | 48. | 53. |
| Budae - - - | 47. | 24. |
| Bajae - - - - | 46. | 10. |
| Szegedini - - - | 46. | 16. |
| Szolnokini - - - | 47. | 9. |
| Agriae - - - | 48. | 0. |
| Belgradini - - - | 44. | 56. |
| Eperieſini - - - | 48. | 45. |
| Szathmàrini - - - | 47. | 25. |

§. XXVI.

Supereſt adhuc, vt, tam de *latitudine*, quam *longitudine* Hungariae, quidpiam commemoremus. Et *latitudo* quidem Hungariae Geographica, gradus occupat plus quinque, id eſt a 40. vsque ad 50. *Longitudo* autem, gradus ſeptem occupat, id eſt, ſi primus Meridianus, in Inſula Fero conſtituatur, a 40. vsque ad 47. Longitudo itaque ſimul & latitudo, ipſius Hungariae, quacunque demum, milliaribus Germanicis, computetur, 80. circiter milliaria, abſoluit.

Haec generatim.

* * *

PARS

# PARS II.

EXPONIT

# GEOGRAPHIAM HVNGARIAE SPECIATIM.

§. I.

VSitatiſſima Hungariae partitio eſt, cum in SVPERIOREM INFERIOREMque diſpeſcitur. Necdum vero inter Hungaros conuenit, vbi terminetur Superior; aut, vbi Inferior capiat initia. Generatim, *Caſſouia*, Inferioris Hungariae metropolis dicebatur. Nunc communi ſententia, in CIS-DANUBIANAM, TRANS-DANUBIANAM, CIS-TIBISCANAM, & TRANS-TIBISCANAM, diuiditur. Quam Hvngariae diuiſionem, nos quoque recipimus.

§. II.

Quilibet horum CIRCULORUM, certum aliquem *Comitatuum* numerum in ſe continet, quibus tota abſoluitur Hungaria. Nos, in deſcribendis iis, ſitus vicinitatisque ordinem, ſequemur.

## MEMBRUM I.

DE

## HVNGARIA CIS-DANUBIANA.

HUc ſequentes iam COMITATUS referimus, quos Hungari *Vármegye*, Germani Geſpanſchaften, rectius *Ispánſ*chaften, Slaui vero Stolice, nuncupant.

§. I.

COMITATUS POSONIENSIS, Hungarice, *Poſony Vármegye*, Germanice, die Preßburger Geſpanſchaft, vocatus,

1. Ad *Carpathi* montis initia, *Auſtriam* inter *Danubium* atque *Vagum*, poſitus eſt, longus milliaria 12. latus 8.

2. Vi-



2. *Vino* proficit atque *frumento*, multis maioribus minoribusque fluuiis irriguus. Cetera & montibus horreſcit, & mitigatur planitie.
3. Huc ingens illa, *Inſulae* Schütt, Hungaris *Cſallóköz*, pars refertur. Feraciſſima ea foecundiſſimaque eſt, Danubii tamen inundationibus obnoxia.
4. Quinque conſtat PROCESSIBUS, quorum ſinguli nomen a ſitu ſortiti ſunt, SEDE item VAJKENSI. Sunt vero:
   (a) *Proceſſus Extraneus Superior*, ab vrbe *Poſonienſi*, pone montes, verſus ſeptentrionem, procurrens. Colitur a Slauis, vrbibus quinque inſeſſus, quas mox dabimus.
   (b) *Proceſſus Extraneus Inferior*, ſecundum *Vagum*, per latam planitiem extenſus, alit potiſſimum quas Hungaros.
   (c) *Proceſſus Inſulanus Superior*, continet ſupremam in occaſum *Inſulae* Schütt partem, habitaturque ab Hungaris, ſi oppidum Somoria excipias, quod & Germanos admiſit.
   (d) *Proceſſus Inſulanus Inferior*, abſoluitur media *Inſulae* eiusdem *parte*, cis & vltra validiſſimum *Danubii* alueum. Colitur itidem ab Hungaris.
   (e) Hic, & *Vajkenſis Sedes* Praedialiſtarum Archiepiſcopalium, poſita eſt, quam Hungari inhabitant.
   (f) *Proceſſus Transmontanus*, vltra *montes*, in ſeptentrionem & occidentem, pone *Morauam* amnem. Inquilini plerique omnes Slaui, & per vicos aliquot, etiam Croatae ſunt.
5. Colitur quinque Liberis Regiisque Ciuitatibus Poſonienſis Comitatus, quarum prima eſt:

1. *Poſonium*, rectius *Piſonium*, Germanis Preßburg, Slauis Prespurek, Hungaris *Poſony*. Veterum Romanorum colonia a Piſone iſthic collocata. Vrbs elegans, in dies proficit aedificiis. Situs amoenitate, ſalubritate aeris & aquae, immo & vini praeſtantia, excellit. Ciues plerique Germani ſunt. Ar-

chi-

chiepiſcopi Strigonienſis, Locumtenentialis Conſilii Regii Cameraeque Hungaricae, ſedes eſt. Habet quoque Canonicorum, cum Praepoſitura, Collegium, quod Capitulum vocamus; geminum praeterea, & Jeſuitarum, & Monialium Clauſtrum. Ordines reliqui, Franciſcanis, Fratribus Miſericordiae, Capucinis, ac denique Patribus SS. Trinitatis, conſtant. Annis ſuperioribus, & Ordo Rubeae Crucis, acceſſit. Arx in quadrangulum ſubſtructa, vbi & S. Regni Corona, cum cimeliis depoſita eſt.

2. *Tyrnauia*. Hungaris *Nagy Szombath*, Slauis **Trnawa**, Germanis **Tyrnau**, vrbs pulchra, foecunda, circum planitie offuſa, vulgo Roma minor, ob ingentem Clauſtrorum frequentiam, dicitur. Huc ſedem ſuam Capitulum Strigonienſe, poſt perditam vrbem Archiepiſcopalem, tranſtulit. Academiam a Pázmáno Cardinale conſtitutam, Ferdinandus II. priuilegiis adfirmauit, atque Societati Jesu tradidit moderandam. Diſſidet in orientem brumalem milliaria ſex.

3. *Modra*, Hungaris, *Modor*, Slauis, **Modra**, Germanis, **Modern**, ſub montis radicibus, reducto verſus Poſonium ſitu, reſedit, vnde 4. ſubiungitur milliaribus. Vino valet, & opificum operis.

4. *Bazinga*, Hungaris *Bozin*, Slauis **Peſinek**, Germanis **Pöſing**. Exigua quidem vrbs, ſita tamen commode. Arx ei adpoſita eſt, quam Comites Pálffy, iam ex aſſe haeredes reaedificarunt. Ciues, mercatibus partim hebdomadariis, partim cultu vineatico, & opificiis rem faciunt. Habent enim vineas, amoeno foecundoque poſitu, conſitas. Fructum effundunt, Modrenſi, multo generoſiorem.

5. *Szent-Györgyinum*, Hungaris *Szent György*, Slauis **Swatý Georg**, Germanis **St. Georgen**. Vrbecula haec, licet vinum praebeat optimum, in dies tamen fit calamitoſior. Arx quoque, immo & pleraeque vrbis domus, in ruina iacent. Piarum Scholarum Patres,

tres,



tres, & Parochiam obtinent & Gymnaſium. Iam Arcis ditio Comitum Pálffy haeredium eſt.

6. Accedunt Comitatui huic, praeter quinque has liberas regiasque ciuitates, arces etiam. In his ſunt: Arx *Poſony*, *St. György*, *Bozin*, *Vőröskő*, Germanis **Bibersburg**, *Szomolán*, Germanis & Slauis **Schmolenitz**, *Dévénum*, Germanis **Theben**. *Boroſtyánkő*, Germanis **Ballenſtein**. *Detrekő*, Germanis **Blaſſenſtein**, Slauis **Plawec**, & *Eleskő*, Germanis **Scharffen-Stein**.

7. Caſtella, ſequentia, regionem hanc inſederunt: *Cſeklés*, Germ. **Láhnſitz**. *Magyarbél*; *Német-Guráb*, *Szuha*, *Vődrőd*, Slauis **Woderád**, *Cziffer* duplex, *Galantha*, *Koſſúth*, *Viſzkelethenſe* duplex, *Hodi*, *Neboyſza*, *Gány*, *Eberhard*, *Püſpöky*, *Cſákány*, *Gomba*, *Illyésháza*, *Nagy-Szarva*, *Uſzſzor*, *Királyfalua*, Germ. **Königs Aden**, rectius **Königs Oeden**, *Bár*, *Böös*, *Súly*, *Beketfalua*, *Sipos*, ſeu Káſtély, *Kártſa*, *Stompha*, *Detrekő*, *Malaczka*, *Lévárd*, *S. Iohannes* duplex, *Dévén Ujfalu*, ac denique *Dévén*.

8. Oppida priuilegiis donata, XX. Comitatus noſter numerat. Nos nominatim modo ea recenſebimus. *Poſony-Várallya*, *Rétſe*, Germ. **Ratſchdorf**, *Cſeklés*, *Semptz*, Germanis **Wartberg**, *Grinaua*, Germanis **Grinnau**, *Cziffer*, *Szuha*, *Cſeſzte*, *Ompitál*, *Alsó-Diós*, Slauis **Oreſſany**, Germanis **Windiſch Nußdorf**, *Fölsö-Diós*, Slauis **Horné Oreſſany**, Germanis **Ober Nußdorf**, *Szomolány*, *Spácza*, Slauis **Spacynce**, *Deite*, *Boleráz*, *Galantha*, *Szered*, *Püspöki*, Germanis **Büſchdorf**, *Samaria*, Germanis **Summarein**, Hungaris Somorja, Slauis **Schomorin**, *Csötörtök*, Slauis **Cztwertek**, Germanis **Loipersdorf**, *Nagy-Magyar*, *Szerdahely*, *Dévén*, *Stompha*, Germanis **Stampfen**, Slauis **Stnpawa**, *Malaczka*, *Gajár*, *Nagy-Lévárd*, *S. Iohannis* oppidum, atque Rudus *Maſztenſe*.

9. Facile hinc coniectare licebit, *reginnculam* hanc, bene *cultam* eſſe, immo & amoeniſſimam: dolendum

dum

dum tamen, *thermas* ei *acidulasque* deeſſe. Reliqua victui neceſſaria, vix copioſiora vſpiam repereris.

10. Supremus Comes eſt, CAROLUS PAULUS PÁLFFY, ab Erdőd, Ianitorum Regalium Magiſter. Dignitas haec, Comitum huic Familiae eſt haereditaria.

§. II.

COMITATUS NITRIENSIS Hungaris *Nitra-Vármegye*, Slauis **Nytryanſká Stolice**, Germanis **die Neutrer Geſpanſchaft.** Nomen ab Epiſcopali arce Nitria, Hungaris Nitra, Germanis **Neutra**, ſortitus eſt. Et is quidem,

1. Sub montibus Morauiam verſus poſitus, Comitatu Poſonienſi, inde ab *auſtro* & *occidente*, Trentſinienſi & Thurotzienſi, a *ſeptentrione*; Barſienſi & Comaromienſi; ab *ortu* & *meridie*, forma ſemi-circulari, incingitur. Merito eum unum omnium eſſe ampliſſimum, dixerim. In *longitudinem* enim mera planitie, 16. vsque milliaria, in *latitudinem* vero, 2. 4. alicubi & 8. protenditur.
2. Qui colunt prouinciam, *Hungari* ſunt, & *Slavi Bohoemi*, agriculturae maximam partem dediti. Nec *Germani* deſunt, nouis hinc inde coloniis, in prouinciam inducti.
3. Fertilitate quidem, Poſonienſi Comitatui haud cedit; vini tamen nobilitate, ni adulari voluerimus, minime laudandus. *Nitra* fluuius, regionem ab aquilone in meridiem perluit. *Vágus* autem, & perpetuus Comitatui eſt, & eius a Poſonienſi prouinciola, diſterminator.
4. Habet itidem *Proceſſus* V. a praecipuis vrbibus & oppidis denominatos. Sunt vero:
   (a) *Nitrienſis*, vltra *Vágum* & *Nitriam* amnem, & inde in *meridiem*, in plana reiectus. Habitatur a Slauis parte ſuperiore, inferiore ab Hungaris.
   (b) *Baimoczenſis*, a *fontibus Nitrae* fluuii, procurrit inter montes, dum in planitiem, verſus Nitriam, deſinat. Coloni ſunt Slaui, & loco alterutro etiam Germani.
   (c) *Bodokienſis* vltra *Bajmoczenſem*, in *occidentem* eſt, montoſus vere totus, & a Slauis cultus.
   (d) *Vág-Ujhelyienſis*, aduerſo Vago, in *ſeptentrionem* aſcendit. Inquilinos Slauos nactus.
   (e) *Szakolczenſis*, vltra *Albos Montes*, vsque ad Morauiae fines protenditur, habitaturque a Slauis.
5. Ingens haec regio, vna modo libera Regiaque Ciuitate *Szakolcza*, Hungaris *Szakoltz*, Slauis & Germanis **Skalitz**, colitur. Ad Morauam flumen, pone fines Morauiae conſedit. Vrbs vetus, nunc vero temporum iniuria, nimium adflicta. Eſt eo quidem, mercatibus cum Morauis inſtituendis, opportunior aliquantum; at enim vero, vbi ſeditio exoritur, ſummis quibusque vaſtationibus obnoxia.
6. Munimenta, quae huic contigere Comitatui, ſunt:
   1. *Nitria*, arx Epiſcopalis munita, vt ſupra iam commemorauimus, monti petroſo impoſita eſt. Elegans ei populoſumque, nominis eiusdem oppidum, adiacet; quod ſplendidam, cum copioſo Canonicorum Capitulo, Cathedralem habet Eccleſiam. Ceterum Nitria fluuius, arcem vndiquaque circumfluit, ingensque eius amoenitati addit momentum.
   2. *Ujvárinum*, Hung. *Erſek-Ujvár*, Germanis **Neuhäußel.** Munimentum, longe quam id deſcribere vellemus, praeſtantiſſimum, duobus Nitria in meridiem milliaribus, vaſta pone amnem cognominem, planitie, diſſidet. Anno 1725. & 1726. ſolo aequatum fuit. Nunc ergo, oppido quam propugnaculo ſimilius dixerim.
   3. *Galgoczinum*, Hungaris *Galgócz*, Germanis **Freyſtadl.** Arx ad Vagum ſita eſt, cui & oppidum, annonae vilitate commodum adiacet; octo milliaribus Poſonio, Tyrnavia duobus, in aquilonem abeſt.
   4. *Leopoldopolis*, Germanis **Leopold-Stadt**, Galgoczino obiacet, paludoſam planitiem occupans.




7. Ar-

7. Arces montani ſitus, egregiam merentur conſiderationem. Nam, & multas, hac imprimis prouincia, reperimus, & nobiles. Omnium nobiliſſima eſt *Bajmócz*, Germanis Boinitz. Haereditario eam iure, Comites Pálffii, cum pluribus pagis arcem adtinentibus, poſſident. Habet oppidum etiam thermas, & nullam non oportunitatem. Diſſidet Nitria, octo in euro ad aquilonem milliaribus.

8. Oppida nobiliora profecto ſunt prouinciae, his nominibus inſignita. Eminet tamen inter reliqua; 1. *Vág-Ujhely*, Germanis Neuſtädl an der Waag, quod nomen a ſitu, ad Vagum enim poſitum eſt, accepit. Amplum ſatis, incolarum imprimis ſedulitate laudandum. 2. *Nagy-Topolcsán*, Groß Topoltſchan Germanis, vbi crocum ſeritur optimum. 3. *Privigye*, Germanis Priwitz. Quae ſingula & incolarum frequentia gaudent, & eximia ſoli bonitate.

9. Haec ora, ſi adcuratius eam indagauerimus, omnia ad vitam bene agendam, tenet *beneficia:* praeterquam, quod ex parte qua in aquilonem ſecedit, aſperior euadat. Aſt, vbi montium iuga miteſcunt, & pane abundat & vino. Imprimis vero planitie, quam communi nomine *Jatto* appellant, rem pecuariam excoli ſtudioſe, mireris. Quin nec *Thermae*, ad conſumandam Comitatus felicitatem deſunt, triplices vero ſunt: *Bajmoczenſes*, puta, *Beliczenſes*, ac *Pöſthenienſes*, denique, ſitae ad Vagum; quae quidem poſteriores, peculiaris cuiusdam virtutis, creduntur.

10. Comes Supremus, & is quidem perpetuus, Epiſcopus Nitrienſis eſt. Nunc, Comes EMERICUS ESZTERHÁZY de Galantha Epiſcopus Nitrienſis.

§. III.

COMITATUS TRENTSCHINIENSIS. Hungaris *Trentſin Vármegye*, Germanis Trentſchiner Geſpanſchaft, nomen a munita arce vrbeque Trentſchinienſi, accepit. Nos de hoc ſequentia.

1. Init



1. Init Comitatus, ad *Sileſiae fines*, prope Jablunkenſe caſtrum; ac inde demum, ſecundo Vago, pone Nitrienſem prouinciam, longius procurrit. Morauiae proximat ab *occidente*, ab *oriente* Thuroczienſi Comitatui; qua vero ad *ſeptentriones* vergit regio, Sileſiam attingit atque Poloniam; *meridiali* parte, Nitrienſibus finitima. Duodecim milliaria latus creditur, longus duo, tria, & alibi locorum, quatuor etiam.

2. Incolae *Slaui* ſunt & *Hungari*, robuſti laborioſique homines. Qui ad Sileſiae Poloniaeque fines, amnem Kiſzutzam incolunt, indole ſunt alacri & excitata.

3. Maxima Regionis pars, *montoſa* eſt, immo paulo etiam aliis incultior, rei tamen pecuariae, commodiſſima. Proinde, par ei cum ceteris regni prouinciis deeſt fertilitas. Frumenti tamen inopia, minime laborat. Vini certe parum colit.

4. Abſoluitur PROCESSIBUS IV. a ſitu nomen ferentibus.

(a) *Proceſſus Superior*, a Sileſiae Poloniaeque finibus incipitur; ac vtroque demum Kiſzutzae amnis latere decurrit; dum Vago vltra Ráietzum oppidum diffunditur.

(b) *Proceſſus Medius*, ſecundo amne Vago, deſcendit.

(c) *Proceſſus Inferior*, partem Comitatus infimam, meridiem verſus, occupat.

(d) *Proceſſus Transmontanus*, vltra Carpathum, ad Morauiae vſque confinia protenſus. Coluntur ſinguli a Slauis, gente, operarum ruſtica ſtudioſiſſima.

5. Vna modo vrbe libera Regiaque *Trentſchinienſi*, colitur, proxime ea Vago adiacet. Cereuiſia, quam coquunt incolae, laudanda, quae optima merito, omnium regni prouinciarum, dici poteſt. Collegium PP. Jeſuitarum, in eoque, templum architectonico conſtructum opere, inter praecipua Hun-



gariae

gariae numeratur. Propugnaculum vrbi adiectum, egregie hucdum munitum eſt. Nunc Comiti JOSEPHO ILLYÉSHAZY paret, qui Caeſarianum ei praeſidium indidit.

6. Oppida multa Comitatui huic adnumerantur. Sunt vero praecipua: 1. *Zolna*, Germanis Silein, quod nobili cereuiſia, & annonae vilitate, excellit. 2. *Rajecz.* 3. *Vag-Beſztercze.* 4. *Illava.* 5. *Puchow.* 6. *Kiſzutza-Ujhely*, vrbecula ad Sileſiae Poloniaeque fines, commode poſita, frequentiori vini mercatu, rem facit. Vt minutiora reliqua taceamus.

7. Montanae, hac in prouincia, *Arces* abundant, quae, turbatorum publicae tranquillitatis, olim, receptacula, fuiſſe creduntur. Plurimae earum in ruinam inclinant. Inter eas, *Budetin*, arx finitima Comitis SZUNYOGHII, prima, commemorationem ob ſitus meretur, praeſtantiam.

8. Nec *Thermas* hic deſideraueris. *Trentſchinienſes*, profecto, tanti ſunt effectus: vt, non a Morauis modo, ſed & Auſtriae incolis, frequententur. Sunt & aliae in *Rajetz* oppido, minoris tamen efficaciae. Acidulas vix connumeraueris.

9. Supremus Comes, JOSEPHUS e Comitibus ILLYESHÁZY eſt, quae dignitas, haereditaria illuſtri huic familiae contigit.

§. IV.

COMITATUS ARVENSIS, Hungaris *Arva-Vármegye*, Germanis die Drawer Geſpanſchaft. Et is quidem;

1. Inter *montes Carpathicos*, ad Poloniae limites reiectus, pauperrimus omnium Hungariae Comitatuum creditur. Inculta, alioquin, frigida, minusque foecunda, regio eſt. Fluuius *Arua* mediam eam interluit, caditque in Vagum, in Liptouienſium & Thurotzienſium collimitio.

2. Incolae *Slaui* ſunt, robuſtum, laborioſumque hominum genus; qui tamen multum Polonici idiomatis adſciuerunt, auenaceo potiſſimum pane contenti.

ten-



tenti. Innumeris ii, ouium gregibus, quos in montibus alunt, rem facere conſueuerunt.

3. Rem *pecuariam*, quod abundat ſiluis regio, commode curare poſſent incolae: dummodo ſuppeteret, plerisque, victus quotidianus. Reliqua, pro paupertate regionis vniuerſa, ponderari facile queunt.

4. In duos diuiditur PROCESSUS, itidem a ſitu vocatos. Sunt ii:

(a) *Superior*, qui in aquilonem recedit, ita dictus, quia circa fontes Aruae amnis, ſitus eſt.

(b) *Inferior*, in meridiem & occaſum, declinatus.

5. Nullam habet liberam regiamque vrbem. *Arx* montana, *Arua*, Slauis Orawa, praecipua eſt, quae & nomen Comitatui impertiuit; Ciuitas adiacens, vti & totus hic Comitatus, pauper eſt, & exigua.

6. Oppida, quibus colitur, pro regionis conditione, exigui ſunt momenti. *Skubin*, inter ea, & incolis & foecunditate validiſſimum eſt.

7. Supremi Comitis dignitate, haud tamen haereditario iure, Comes ANTONIUS ERDŐDY, fruitur.

§. V.

COMITATUS LIPTOUIENSIS, Hungaris *Lipto-Vármegye*, Germanis Liptauer Geſpanſchaft, vel ſi communi nomine mauis, die Liptau.

1. Finitimus Aruenſi eſt, ab *aquilone*; ab *oriente*, Scepuſienſi; *meridiem* verſus ad Zolienſis vsque prouinciolae fines porrigitur. Qua vero *occidentem* ſpectat regio, ad Thuroczienſium, Trentſchinienſiumque limites, proximus accedit. Longo & hic tractu, ad Thuroczienſes vsque, procurrit.

2. Incolae *Slaui* ſunt, caſeo ac butyro quaeſtum maxima ex parte facientes, ob agri ſterilitatem, ſolertes agricolae.

3. Habet PROCESSUS IV. pro plagis orbis terrarum, diuiſos denominatoſque. Inter hos:

 (a) *Orien-*

(a) *Orientalis*, ad Vagi fontes, verſus Scepuſium, poſitus.

(b) *Meridionalis*, occupat regionem, quae inter Vagum & montes meridionales, interiacet.

(c) *Occidentalis*, regiunculam eam complectitur, quae, Vagi margine, in eam plagam recedit.

(d) *Septentrionalis*, ea abſoluitur regione, quae a Vago in aquilonem abit.

4. Oppida praeclara nonnulla, hoc in Comitatu, reperias, vt ſunt:

1. *Liptſa-Teutonum*, Hungaris *Német-Liptſe*, Germanis Teutſch-Lipſche, Slauis Německá Luptſſa. Populoſum oppidum, a Lipſienſibus mercatoribus primum conditum creditur: eo quod ex itinere aduertiſſent, amniculum ibi praeterfluentem, aureas vellere arenas.

2. *S. Nicolaus*, Hungaris *Sz. Miklos*; Slauis S. Mikuláš, Germanis. St. Nicklaß, bene cultum oppidum. Hic quoque Conuentum ſaepiſſime Comitatus celebrat.

3. *Roſenberga*, Slauis Ružomberg, Germanis Roſenberg, tribus St. Nicolao milliaribus, pone Vagum, diſſidet. Salis alioquin depoſitione notum.

5. Arces montanae duae hunc Comitatum inſederunt; ſunt vero:

(a) *Likawa*, quae bello Rákócziano, disiecta eſt.

(b) *Hradek*, culta hucdum, nec tamen ſeu munitione, ſeu poſitu, priori Likauae, comparanda.

6. Thermas praeter *Lutskenſes* nullas habet; habet vero accidulas, hinc & inde Comitatui adfluentes.

7. *Aſpera* & haec, paulumque reliquis *frigidior* prouincia eſt: ſiquidem Carpatho includitur, & 8. milliaria, montes inter, inde a Scepuſienſi Comitatu, vsque ad Thurocztienſem, procurrit. Mediam *Vagus* perfluit, noxius regioni ſaepius; imprimis vbi crebrioribus auctus montanis riuulis, turget. *Siluis* potiſſimum *caeduis* abundat. Lignis proinde regiones quam plurimas, ope Vagi, Danubiique, ſuſten-



ſuſtentat. Montes & *metalla* habent; quae tamen coluntur negligentius: praeterquam quod antimonium immenſi copia effodiant. *Caſeus*, quo rem ſuam facere conſueuerunt, longe lateque, regionibus plurimis ſubuehitur.

8. Supremi Comitis dignitatem, Comes JOSEPHUS ILLYESHÁZY, & id quidem iure haereditario, nactus eſt. Ipſa haec prouincia, titulum olim *Ducatus* gerebat. Mathias enim Coruinus, filio Joanni Coruino, eam, hoc titulo, dono dederat. Quod vero nomen, mortuo Coruino, exſpirauit.

§. VI.

COMITATUS ZOLIENSIS. Hungaris *Zólyom-Vármegye* Germanis die Solienſer Geſpanſchaft. Situm is, in meridiem, a Liptouienſi remotus prouincia, nactus eſt. Huc demum vrbes ineunt montanae, quae, quod a Saxonicis primum coloniis cultae creduntur: regioni, remiſſe dicendo, Saxoniae paruae nomen, acciuerunt.

1. Et hic quidem Comitatus tam *prolixus* eſt: vt, ad 12. pene milliaria, perpetua *Grani ripa*, amoeniſſima planitie excurrat; cum tamen, vix duorum triumue latitudinem expleat.

2. Incolae vniuerſim *Slaui* ſunt; ſi quorundam ciuium Neoſolienſium *Germanorum* partem, excipias.

3. Fertilitas Comitatui haud deeſt. Nam, & agris abundat, & ſiluis, pecori ſaginando, commodiſſimis. Hic ingens illa Regis cupri fodina eſt, quam *Vallem Dominorum*, vulgus Germanice Herren-Grund, adpellant. Diſcedit vno in aquilonem milliari Neoſolio, altis inhaerens montibus. Locum ſoli incolunt metallici. Aqua *Cypria*, Zimmet-Waſſer Germanis dicta, quae corroſo ferro, aes puriſſimum adponit, his ineſt fodinis. Tam vero eae amplae ſunt: vt, trium milliarium circuitu; ſi ambages cirriculosque ſingulos computaueris, 22. milliaria efficit.

4. Duobus admodum PROCESSIBUS definitur;

(a) *Superiore*, qui in aquilonem recedit orientalem; ea quidem regione, quae vltra Neoſolium eſt atque Briſznam, aduerſo amne Grano.

(b) *Inferiore*, qui ſecundo Grano deſcendit, eſtque altero illo, & fertilior, & amoenior.

5. Quinque liberis regiisque vrbibus inſidetur, quod, in nullo, ſi Poſonienſem exceperis, Comitatu, reperias. Sunt vero:

1. *Neoſolium*, Germ. Neuſohl, Hungaris *Beſztertze-Bánya*, Slauis Banſka Biſtryca, ciuitas montana, bene culta, quae in ſeptem reliquis, tertium locum occupat. Granus eam, curſu veloci praeterlabitur. Incolas alit ſedulos, qui olim omnes Germani fuerant. Poſteaquam vero bello ac peſte defeciſſent, & Slaui acceſſere, qui nunc ſunt plurimi: ciues qui forum inhabitant, Ring-Burger dici conſueuerunt. A Regibus Hungariae accepere priuilegia, non teneri ſe in ſuorum numerum, praeter natione Germanos, vnquam recipere. quae praerogatiua, hodie, in controuerſia verſatur. Nundinas hebdomadales, easque, diebus lunae, frequentes celebrant. Imprimis cereuiſia excellit vrbs, quae potiſſima quaeſtus incolarum pars eſt. Nos, Germano idiomate Merzen-Bier, nuncupamus. Cupri praeterea fodinas, & frequentes & diuites colunt. Arx vrbi adiacens, elegans ſatis eſt.

2. *Vetuſolium*, Hungaris *Zólyom*, Slauis Zwolen, Germanis Altſohl, ciuitas quidem libera, at non montana, duobus Neoſolio pone Granum milliaribus, diſtinguitur. Ciues antehac quidem Germani, nunc plerique Slaui ſunt; robuſti homines, induſtrioſi, imprimis vero ob vitam ſuſtentandam, ſolertes agricolae. Arx, edito connexoque vrbi a meridie colli, impoſita eſt. Quam Matthias Coruinus Hungariae Rex, ſaepiuscule viſitare conſueuerat. Vnde, magnificis cubiculis palatiisque, ornauerat; quae tamen, potiori parte collapſa, repe-





rias. Nunc haereditario iure Comitum ESZTERHÁZY ditioni ſubeſt.

3. *Libetha*, Hungaris *Libéth Bánya*, Slauis Lubjetowa, Germanis Liebethen, ciuitas montana, duobus ab vrbe Neoſolienſi milliaribus diſcedit. Ciues, qui Germani olim fuerant, nunc Slaui ſunt omnes. Id memoratu digniſſimum eſt, paſſeres hac in vrbe nullos reperiri: eo quod, incolae, ſingulos quos obſeruant, interimunt. Vrbs haec, olim aurum fodit, prouentus opimi.

4. *Brizno-Bánya.* Germanis die Brieß, ad Granum flumen, poſita, quatuor Neoſolio milliaribus, in aquilonem reiecta eſt. Slaui eam incolunt, naturali quadam hoſpitalitate, praediti. Rem ii ſuam agricultura & ouibus, quarum, tam hyeme quam aeſtate etiam, innumeras in ſiluis greges alunt, facere conſueuerunt. Inde, caſeum, qui vulgo Brinſen Käß dicitur, premunt, facile omnium totius regionis, nobiliſſimum.

5. *Carpona*, Hung. *Korpona*, Slauis Krupina; Germanis Karpffen, quinque milliaribus, Neoſolio, in meridiem diſſidet. Vino fructibusque abundat adeo; ut tota ea prouincia vix reperias, praeſtantiores. Vnde, & nonnulli, nomen, a Graeco κάρπος, quod fructum ſignificat, deriuari volunt. Turca Uiuarinum expugnante, arx limitanea fuit valido inſtructa praeſidio. Ciues Germani antea, nunc, Slaui Hungarique, ſunt. Nobilium imprimis multi, belli motibus, huc acceſſere: vt ſaepe, ſenatus integer, a nobilibus conſtaret.

6. Arces, praeter *Neoſolienſem* illam, ac *Vetuſolienſem*, Comitatui tres contigere. In his:

(a) *Liptſche*, abeſt Neoſolio milliari vno, pone Granum poſita, excelſumque montem occupat, acceſſus ardui.

(b) *Viglés*, quae Vetuſolio, milliari vno in meridiem, disiungitur, MATTHIAE CORUINI ſeceſſus, & is quidem venatorius, fuiſſe creditur.

(c) *Dobroniwa*, egregio opere inſtructa fuit; nunc ad ruinam inclinat.

7. Inter oppida regionis, nominanda veniunt:

1. *Toth-Liptſche*, Germanis Windiſch-Liptſch, arci cognomini adpoſitum eſt.

2. *Ponik*, a Saxonicis coloniis conditum. Nunc Slaui colunt, ferri potiſſimum fodinis, quae ciuium Neoſolienſium ſunt, operantes. Duobus in zephyrum milliaribus, diſtat.

3. *Otschowa*, copioſum olim oppidum, proximum eſt arci Viglés; quod tamen nunc magnopere deficit.

4. *Nagy Szalatna*, eodem cum priori; nam in vicinitate eius eſt, fato vrgetur.

5. *Dobroniwa*, arci eiusdem nominis, adpoſitum.

6. *Rádvány*, frequens & copioſum oppidum, Neoſolium adtingit, nobilis Radvanſzkyorum familiae natalibus, immo caſtellis etiam, inſigne.

8. Nec *Thermas* prouinciae deeſſe dixeris. *Ribarienſes*, certe, ſingularis ſunt, ut dudum iam compertum eſt, virtutis. Antehac, non longe ab iis, *antrum* repertum fuit, cuius vapor aues praeteruolantes interimebat. De qua re, doctiſſimus WERNHERUS, de Admirandis Hungariae aquis, mentionem facit; quae tamen cauerna, dudum iam lapidibus obruta eſt. Habet & *aquas acidas*, longe nobiliſſimas, ad vicum *Cſacſin*, *Vetuſolii* geminas, ad *Szlatinam* & *Vigleſum* arcem, aluo ciendae idoneas, ac vltra arcem, in profunda montis *Oſztroskii* valle, colore rubras; quin, ad *Ribarienſes* etiam thermas, ſaliunt, prioribus licet poſtponendae.

9. Supremi Comitis dignitas, quae hic quidem eſt ambulatoria, nunc NICOLAO e Comitibus ERDŐDY, contigit.

## §. VII.

COMITATUS THUROCZIENSIS, Hungaris *Thurócz-Vármegye*, Germanis die Thurotzer Geſpanſchaft, no-



nomen a flumine Thurócz, qui regionem irrigat, vel, vt alii volunt, ab arce collapſa eiusdem nominis, ſortitus.

1. Eſt vero exigua & haec ora, tanta planitie extenſa; vt hortum crederes. Ita montibus Carpathicis vndiquaque circumdatur. Ab *oriente*, Liptouienſem & Zolienſem prouincias reſpicit; in *meridie*, Barſchienſi partim, partim Nitrienſi Comitatu, terminatur; in *occaſu*, Trentſchinienſi clauditur regione; Aruenſi, in *ſeptentrione*.

2. *Slaui* habitant, gnaui alioquin omnes, & laborum patientiſſimi. Agrum quidem nacti ſunt fertilem, at longe, alendae incolarum multitudini inſufficientem. In pagis, aliquot & *Germani* incolunt, veterum Gothorum, reliquiae. Linguam profecto eorum, non facile intellexeris. Ita corrupere Germanorum idioma.

3. *Pecuariam* rem, ſtudioſiſſime curant. Porcorum imprimis ouiumque cohortes numeroſiſſimas, ſuſtentant. Piſcium non adeo ingentem copiam accipiunt.

4. Tametſi exilis ſit Comitatus: tamen in quatuor PROCESSUS diuiditur, ab arcibus & oppidis, denominatos. Sunt vero:

(a) *Sklabinyenſis*, arcem fere cognominem, ambiens.

(b) *Blatnicenſis*, nomen ferens ab arce, cui ſuffuſus eſt.

(c) *Moſchouienſis*, ſic dictus ab oppido.

(d) *Znió Clauſtrenſis*, ab arce Praepoſiturae Thuroczienſis, ſic vocitatus. Ille, in ſeptentrionem; hic, in orientem; iſte, in meridiem; vltimus denique, in occidentem, recedit.

5. Inter Arces prouinciae, numerantur: 1. *Sklabina*, & 2. *Blatnicza*, ambae, Dominio Revajiano, accenſae. 3. *Znio*, PP. Jeſuitarum Tyrnauienſium, Praepoſitura celebris, inter reliquias arcis Thurócz, quae nomen Comitatui impertiuit, cenſetur.

6. Op-

6. Oppida memoratu digniora, ſequentia ſunt:
   1. *Szent Márton*, in mediam puouinciolam, reiectum.
   2. *Moſchótz*, in orientem vergit aeſtiuum, poſitu hilari.
   3. *Szutsán*, ad Vagum, qui Comitatum, inde a ſeptentrione, perluit, poſitum eſt.

7. Aquae calidae, ad pagum *Stuben*, quem Germani poſſident, alias Thermae Stubnenſes dictae, optimis ſaluberrimisque Hungariae, adnumerantur. Acidulas certe, hinc & inde, nobiliſſimas ſcatere videas.

8. Supremus Comes, isque perpetuus, LAURENTIUS Liber Baro de RÉVA, cui genti Nobiliſſimae, ſumma haec dignitas, haereditaria eſt.

§. VIII.

COMITATUS BARSCHIENSIS. Hungaris *Bars-Vármegye*, Germanis **die Barſcher Geſpanſchaft**, nomen ſortitus, ab vrbe olim celeberrima Barſch, quae hodie, in pagum abiit, Tekow, vulgo dicta. Quare, Slauis etiam, **Tekowſká Stolica**, venit.

1. Decurrit iuxta *Granum* amnem, inde, a Zolienſis & Thurocʒienſis Comitatus, collimitio, ab *occidente*, Nitrienſem; Nagy Hontenſem prouinciam ab *oriente*, adtingens. Vbi demum, in *Strigonienſium* finibus, terminatur. Totus is, 10. ſi longitudinem ſpectes; ſi latitudinem, 3. 4. alibi, & 5. patet milliaria.

2. Colitur potiſſimum a *Slauis*, ad ruſticandum ſolertibus. Interſunt paſſim *Germani* etiam; ſed pauciores, iique per Cremnitzienſium ditionem ſparſi. Nec *Hungaros* deſideraueris, qui Leuenſem Proceſſum, fere totum incolunt.

3. Altera regionis pars, *montoſa* eſt; *planior* altera, quae meridiem reſpicit. Naturae *beneficiis* abundat profecto. Nam, & annonae facilitate, & re pecuaria, copioſa ſatis eſt; immo, auri etiam argentique fodinis, excellit. Id notatu dignum: regionem





nem in pago *Hlinik*, Geletnel latine, lapidum molarium fabricatione, prae reliquis Hungariae Comitatibus, proficere maxime; & id quidem adeo: vt, vniuerſae ferme Hungariae, hoc laboris ſui documento, ſufficiant incolae.

4. Numerat PROCESSUUM tres, & SEDEM VEREBÉLYENSEM, Praedialiſtarum Archiepiſcopalium. Sunt autem:
   (a) *Oſzlanenſis*, qui, ab oppido Oſzlány dictus, eam Comitatus regionem occupat, quae, in aquilones, aduerſo Grano, vsque ad Cremnitzium, excurrit.
   (b) *Kis-Topolcſanenſis*, nomen a Kis-Topolcſan mutuauit, in occidentaliorem Comitatus oram, recedens.
   (c) *Leuenſis*, in meridiem, vltra & citra Granum, repreſſus.
   (d) *Sedes Verebélyienſis*, nomen a munito olim & militari oppido Verebély ſortita eſt, diffunditurque pone Zitwam amnem, per Nitrienſium confinia.

5. Duas admodum montanas vrbes, in ſe complectitur:
   1. *Cremnitzium*, Hungaris *Körmöcz-Bánya*, Germanis **Kremnitz**. Montanarum ciuitatum caput eſt, exigua admodum, reiectaque in vallem. Diſcedit Neoſolio quinque in meridiem milliaribus. Vrbs interior, triginta & duabus ſaltem domibus conſtat, ſuburbiis eo amplioribus. Ciues Germani plerique ſunt, excolendis auri argentique fodinis, intenti. Reliquum vrbis adſpectum, Camera Regia montana, vbi moneta & aurea & argentea, cuditur, ſedesque Supremi Camerae Comitis, reddunt illuſtriorem. Id non praetereundum eſt, ſabuloſas aquas, mineraliumque effluuia, id efficere: vt, nonnullos vrbis ſortis inferioris incolas, ſtrumoſos videas, eosque peculiari quodam idiomate Germanico loquentes.

2. *Regiomontum*, Hungaris *Uj-Bánya*, Slauis Nowá Bánya, Germanis Königsberg, antiqua ciuitas, ſita incommode, auri fodinam, priſcis temporibus, tam opimam coluit: vt metallicis, haud alia vnquam tribueretur merces, quam pulueres aurei, qui veſtibus eorum, inſtrumentisque adhaeſerant. Poſthaec vero, quae ſumma hominum leuitas eſt, ciues, inſtitutis, in montis viſceribus conuiuiis, tantam hanc benedictionem diuinam, fortaſſis a ſe auerterunt. Accidit enim, mons, ſub ipſo conuiuii tempore, cauatus vndiquaque, corrueret, centenis aliquot, utriusque ſexus, hominibus interemtis. Sanguis certe occiſorum diebus aliquot, e canali principe, Germani Erb-Stollen dicunt, emanauerat. Et hic demum, terminus diuitiarum poſitus fuit. Licet enim diu in id incubuerint incolae; vt reſtitueretur ſtatui priori fodina: aſt, fruſtranea perpetuo fuit opera. Adhibita fuit eotum, inſignis illa machina igniaria, (dicemus de ea in Comitatu Kis Hontenſi, ad vrbis Schemniczienſis deſcriptionem) quae montis aquas exhauriret. Sed eo, impenſis omnibus, res peruenit; vt tandem inculta relinqueretur aurifodina. Ceterum, quod ad incolas adtinet, Slaui ii ſunt, ſolertes agricolae.

6. Multis antehac arcibus inſidebatur Comitatus. Nunc, ſiue temporum iniuria, ſiue negligentia hominum, id accidit, quod plerasque deſertas obſerues. Coluntur tamen hucdum ſequentes:

1. Sachſen-Stein, ad Grani ripam poſita, bis mille paſſibus Vetuſolio diſtat. Saxonum coloniam dixerim, quod nomen ipſum indigitat.
2. *Ghymes*, finitima prouinciae Nitrienſi, inclutae Comitum FORGÁCH familiae natalibus, cuius etiam Domino ſubeſt, nobilitata.
3. *Léva*, Germanis Lewentz, Slauis Lewice, egregium olim munimentum, nunc ſolo aequatum, oppido cognomini, quod pecuariis potiſſimum nundinis inclaruit, arcis gloriam ceſſit.



4. Merito huc, & *Praepoſituram S. Benedicti, iuxta Gron*, retulerim. Coenobium eſt munimento ſimile, quod, rupem, non ecquidem altam; ſed firmam, inſedit, pone oppidum eiusdem nominis, propugnaculis altiſſime exſurgentibus inſtructum.

7. Oppida, praecipua haec fere ſunt:

1. *S. Crux*, Hungaris *Sz. Kereſzt*, Germanis Heilig-Creutz, Grani fluminis littora occupat. Praedium eſt Archiepiſcopi Strigonienſis, qui elegans ibidem caſtellum extruxit.
2. *Z'ernovitz*, duobus, in vlteriora prouinciae, recedit milliaribus. Regis eſt, panaria Schemnitzienſium officina, qua potiſſimum excellit, oppidum eximium.
3. *S. Benedek*, aeque ad Grani litus accedit, non amplum modo, ſed frequens etiam oppidum.
4. *Kis-Topolsán*, elegans cum caſtello oppidum, olim, Comitum Zychiorum poſſeſſioni adnumerabatur.
5. *Aranyos Maróth*, ſortis profecto olim miſerae; quod tamen herus, qui Paluska eſt, ſingulari opera reſtaurare, immo illuſtrare etiam, intendit. Titulis enim inclutae familiae innexum eſt.
6. *Verebély*, munitum olim, nunc deſolatum fere oppidum. Caput tamen ſedis Verebélyienſis refert, Strigonienſis Archiepiſcopi, iuribus adſtrictum.

8. Thermae *Vihnenſes*, Germanis das Eyſenbacher Baad, ſalubritate maxima, notiores ſunt; quam ut longius eas recenſeamus. Tribus in orientem milliaribus Schemnitzio deſunt; loco quidem montibus incluſo; amoeno tamen; quod amniculus praeterlabens, aedes ferme alluat. *Acidulae*, pro thermarum praeſtantia, penſitari queunt. Non enim

enim frequentes modo ſunt, ſed ſalubres etiam, prae reliquis.

9. Comitis Supremi, non tamen haereditarii, axioma habet, Comes GEORGIUS ERDŐDY, nuper inclutae Camerae Hungaricae Poſonienſis Praeſes; nunc Iudex Curiae Regiae.

§. IX.

COMITATUS COMAROMIENSIS, Hungaris *Komárom-Vármegye*, Germanis Komorner Geſpanſchaft, a Comaromienſi vrbe ſic nuncupatur. Et is quidem:

1. Poſitus *cis & trans Danubium* eſt; nihilominus tamen, quod princeps locus citeriorem partem occupet, ad cis Danubianos referendus Haec vero, Cis Danubiana regionis portio, & vniuerſim; & qua in *inſulam Cituorum* diffunditur, abſoluitur planitie; trans Danubium vero, quod ſuperat, montibus horreſcit, latere meridiali.

2. Incolae *Hungari*, agrum potiſſimum colunt: ſi tenues quasdam *Slauorum* colonias exceperis.

3. Ceterum, *foecunda* ſane regio eſt. Nam, & agrorum & vinearum cultum, egregie promouet, & proficit re imprimis pecuaria, ob late patentem, planitiei, qua conſedit, paſcuorum vbertatem.

4. In tres PROCESSUS diſpeſcitur, vtraque Danubii ripa; quin & in inſulam Cſallóköz diffuſos. Sunt vero illi:

(a) *Jaurinenſis*, ita dicitur, quod ſit finibus eius Comitatus adnexus. Diffunditur vero, vlteriore Danubii ripa, inter Iaurinenſem, Veſprimienſem, Albaregalenſem & Strigonienſem, Comitatus.

(b) *Ujvarienſis*, accepit id nominis a propugnaculo Ujvár, cuius viciniam adtingit, per plana, citeriore Danubii margine, diuagatus.

(c) *Inſulanus*, inſedit partem inſulae Cſallóköz, infimam.

5. Prin-



5. Princeps Comitatus vrbs libera atque regia, *Comaromium* eſt, quod Germani Comorn, Hungari *Komárom* adpellitant. Cui, adiectum eſt propugnaculum celebre, nunquam interceptum adhuc. Ad extrema Inſulae Cituorum illud reiectum eſt, virginis inſigni nomine donatum. In cuius rei memoriam, ſtatuam euexere, forma virginis, altius procedentem in propugnaculorum ſerie, quae manu quidem altera, coronam; ficum altera, qua Ujuarinum proſpicit, oſtentat. Praeſidiarii olim Germani erant, nunc Hungari ſunt. Ciues Hungari, Germanos quoque admittunt in ſocietatem.

6. Arces, ſeditione Rakotziana nupera, dirutæ ſunt fere omnes. Superſunt:

1. *Tata*, arx elegans, trans Danubium reſedit. MATTHIÆ CORVINI olim receptaculum fuit; nunc, Comitis JOSEPHI ESZTERHÁZY haerediis, adnumeratur.

2. *Geſztes*, eodem tractu poſita, iam ruinae proxima obſeruatur.

7. Oppida, pauciora inſunt prouinciæ. Vnum illud, Tatenſi arci adpoſitum, celebre eſt, & incolarum copia, & nundinarum, profectibus.

8. Thermas habet ad *Tatam* oppidum, de quo modo dictum, ſatis inclutas.

9. Nunc, Comitem LEOPOLDUM de NÁDASD, Regni Hungariae Cancellarium, ſupremum, ac perpetuum Comitem, veneratur Comitatus.

§. X.

COMITATUS NAGY & KIS HONTENSIS. Ille quidem Hungaris *Nagy-Hont-Vármegye*, Germanis die Nagyhonter-Geſpanſchaft; hic, *Kis-Hont-Vármegye*, die Kishonter-Geſpanſchaft, dicitur. Nos de ambobus ſeorſim breuiter.

I. NAGY HONTENSIS COMITATUS.

1. Inde a finibus prouinciae Zolienſis, quae ad *ſeptentrionem* vergit, ab *occidente* quidem Barſchienſi; Neogradienſi ab *oriente*, terminatus, late diffun-

G di-

ditur. His terminis, vsque ad Comitatus Strigonienſis limites, per octo fere milliaria, ab *aquilone* in *meridiem*, amoena montium & planitiei viciſſitudine, excurrit.

2. *Slaui* incolunt & *Hungari*, immo *Germani* etiam, pauciores tamen. Vtrique illi, laborioſi agricolæ.

3. Ceterum, ſi *fertilitas* regionis ſpectanda venit: nulli eam cuiuscunque demum prouinciæ ſecundam dixerim. Nam, & *agros*, vbi ineunt plana, & *paſcua* in iis, quae pecus & *aurum*, metallorum genus praecipuum, exhibet. Vt reliqua vitae adminicula, quae hic copioſa ſunt, praeteream.

4. Tribus deſignatur PROCESSIBUS.
   (a) *Schemnicienſi*, qui montano ſitu, vrbi ei circumfunditur. Colitur a Slauis, paucioribus Hungaris & Germanis.
   (b) *Bozokienſi*, ab arce & oppido *Bozok* ſic dicto. Montoſo & hic poſitu eſt, in orientem recedens.
   (c) *Báthenſis*, nomen a metropoli ſua Báth, mutuauit. In plano hic deiectus, Slauos alit & Hungaros.

5. Tres ei liberae regiaeque ciuitates ſunt. In his princeps:
   1. *Schemnicium*, Hungaris *Selmetz-Bánya*, Slauis Stawnitza, Germanis Schemnitz. Maximam merito, vrbium montanarum dixerim. Nam, & frequentia populi, & auri argentique fodinis, reliquas antecellit. Poſitum incommodum accepit; quippe, domus, ſine vllo ordine, ſi forum duplex excipias, in montium præcipitiis conſpiciuntur; quae tamen, meris lapidibus conſtant, validiſſime inſtructae. Habent Cameram Caeſareo Regiam, quae, locum natura incommodum, illuſtrem reddit. Fodinarum praecipuae ſunt:

(a)



(a) Windſchacht, in occidentem recedens. Tantae ea altitudinis eſt, quanta, vix vllam, tota Europa, metalli fodinam, credunt plurimi. Hic illa igniaria eſt machina, a Fiſchero, exſtructa; quae, quod in immenſae profunditatis fodina aquae eſt, exhaurit.

(b) Bacher-Stollen, & Drey-Königs-Stollen, duae fodinae. Illa, eadem, qua in primam itur, via; haec, in ſuburbii inferioris fine, orientem verſus viſitur. Ciues vrbis, plerique Germani ſunt; metallifoſores imprimis, Slauis paucioribus.

2. *Bela-Bánya*, Latinis *Dilna*, Germanis Dilln, Slauis Bela, propius abeſt Schemnicio in ſeptentriones vergens. Exigua haec ſit licet: tamen muris cinctam reperimus. Germanos alit, aeque ac Schemnicium, agriculturae tamen magis quam rei metallicae ſtudioſos.

3. *Baka-Bánya*, Germanis Pugantz, Slauis Bukanetz, aurum fodit, exiguo ciuibus lucro. Vineis ergo potiſſimum & agrorum cultui tribuunt operas. Vrbs ipſa, muris cincta elegantibus, e regione Leuæ oppidi, in angulum reiecta eſt.

6. Arces duas potiſſimum celebres numerat:
   1. *Cſábrágum*, Hung. *Cſábrág*, munita eſt, monti impoſita, ditionis Koharianae.
   2. *Szitnam*, quae montem occupat altiſſimum; vnde maxima fere Hungariae pars, qua decurrit planities, eſt conſpicua. Dolendum vero, tantam hanc arcem, nunc ruinas oſtendere.
   3. *Bozok*, Slauis Bzowik, non equidem arcis nomine, ſed Praepoſitura Jeſuitarum, inclutum.

7. Inſignia prouinciae oppida ſunt:
   1. *Szebeklib*, Germanis Klib, inquilinos Germanos accepit.
   2. *Báth*, Germanis Fraumarck, Slauis Batovcze, foecundum ſatis campum, inſedit.

 3. *Bór-*

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára Székelyudvarhely

3. *Börſöny*, Germanis Pilſen, Danubium verſus, circumdatum montibus reſpicit. Montanam Saxonum coloniam fuiſſe adfirmant, quae auri argentique fodinis operabatur.

8. *Thermas* habet inſignes *Sklenenſes*, Germanis dictas das Glaßhüttner-Baad. Vicinarum vrbium ciues, frequentes eo confluunt. Non longe illinc, ſudatoria cauerna abeſt; vbi gradus adpoſiti, ſudantibus ſaepius, immo & balneantibus, apprime commodi. Hinc, ſuapte natura, locus adeo caleſit: vt, ad ignem admotam aquam putares, quae e ſaxo deſtillat. *Acidulae*, ad vicum *Magarad* nobiliſſimae ſunt.

9. Comes ſupremus & perpetuus, ANDREAS e Comitibus KOHÁRY, ſumma hucdum laude, hac dignitate potitus eſt.

II. KIS HONTENSIS, qui,

1. Ab *occidente*, Zolienſi prouinciae; Gömörienſi, a *ſeptentrione* & *oriente*, proximus accedit; qua vero in *meridiem* proſpicit, regionis Neogradienſis limitibus, terminatur. Ambo Diſtrictus 16. fere milliaria excurrunt in longitudinem; lati ſi plurimum ſit, vix quatuor. Situs eadem, quae Nagy Hontenſi conditio eſt. Nam, hic campos, ibi montes metalliferos, videas. Medium *Rhima* fluuius, perfluit, quem Slaui Rhimawa dicunt. Non procul is Taxouia, natus, inde ab aquilone in ſeptentriones procedit, ac vbi Rima-Szombathum praetergreſſus eſt, Sajoni fluuio, immergitur.

2. Inquilini ad ſeptentrionem, *Slaui* ſunt; ad orientem *Hungari*, mox camporum cultui, mox metalli fodinis intenti.

3. De *foecunditate* nihil adtinet dicere. Nam campi, omnino, vt in priori etiam Comitatu, frugum fructuumque omnis generis, patientiſſimi ſunt, montes plerique metallis, inſignes. Ferrarum copia, vna omnium, maxime deſideratur.

4. Duo-



4. Duobus, potiſſimum, *oppidis* nobilioribus colitur. (a) *Rima-Szombath*, Slauis Rimawská-Szobota, copioſum oppidum, libertatis priuilegio donatum, ciues bene cultos alit, qui nundinarum maxime prouentibus proficiunt.

(b) *Taxouia*, Hungar. *Tiſzſzöltz*, Slauis Tiſzowetz, Germanis Teisholtz, eo potiſſimum illuſtre, quod cum ferrum fodiant, magnete etiam, tanquam ferri comite, copioſe potiatur. Slaui habitant, homines laborum impigri.

5. Sunt & *Caſtella* quaedam, ignobiliora tamen nunc, quod pleraque interciderint. Memoratu, haec duo, digna ſunt: 1. *Ráhó* & 2. *Osgyán*, ambo, ſic ſatis elegantia, hodie nobilium dominationi ſubiecta ſunt.

6. Peculiari, Diſtrictus hic, *Vice-Comiti* ſubeſt; licet eundem cum priori prouinciola, ſupremum Comitem agnoſcat.

§. XI.

COMITATUS NEOGRADIENSIS, Hung. *Nográd Varmegye*, Germanis die Neograder-Geſpanſchaft. Nomen fert ab arce deſerta *Nográd*, quae Epiſcopi olim Vácziensis fuerat. Hic

1. Ad *ſeptentrionem* init, in Zolienſium & Kis-Hontenſium limites; vnde demum, perpetua camporum ſerie, ad 10. fere milliaria, vsque in S. Andreae Inſulam, porrigitur. Cui, ad *orientem*, Gömörienſis & Heueſienſis; ad *occaſum*, Nagy Hontenſis Peſtienſis ad *meridiem*, vicina eſt prouincia.

2. Quos alit regio, *Hungaricae* partim gentis ſunt, partim *Slauicae*, qui regionem ſumma diligentia omnique ſtudio excolunt. Proceſſus Filekienſis incolas, per dicterium *Krekácſios* dicimus, ſolertes alioquin materiarios.

3. Reliqua Comitatus conditio, ea eſt, quae optima. Optimis enim Hungariae prouinciis, tam ob ſedulitatem incolarum, quam prudens etiam regimen, adnumeratur merito. Eſt equidem, ſeptentrionali orientali-



Haáz Rezső Múzeum
Székelyudvarhely

talique latere *aſperior paululum;* eo quod montibus, qui planitie multo crebriores ſunt, horreſcit: at vero vbi in meridiem & orientem vergit, eo imprimis tractu, quem *Cſerhát* vulgo nominant, vino, frumento, omnibusque vitae adminiculis ita proficit; vt naturam, omnes eo diuitias, contuliſſe credas. Montes, tam alti plerique ſunt, vt nubes inferiores tranſeant. Quorum praecipuos habet: *Medues*, *Szanda*, *Matra;* qui vltimus, inde ab Heueſienſi Comitatu, vsque huc protenditur.

4. Bifariam hic Comitatus diuiditur; *Eccleſiaſtice* & *Ciuiliter.* Illuc adtinet diuiſio in NAGY & KIS NOGRAD, ſiue in Maiorem & Minorem Nograd. Quorum ille, totus Dioeceſi Archiepiſcopatus Strigonienſis; hic Dioeceſi Epiſcopatus Vaczienſis, admenſus eſt. Ciuilis vero, quam diximus, partitio, PROCESSIBUS quatuor abſoluitur.

(a) *Loſontzienſis*, ab oppido Loſontz, ſic adpellatus, montoſi poſitus, inter Filekienſem ab oriente, & Kékőienſem ab occidente, in aquilonem, ad fines vsque Zolienſis Comitatus, ſuccedit.

(b) *Filekienſis*, ita vocatus ab arce & oppido, olim celebri, Filek, praetenditur Loſontzienſi ab oriente, pone Kis Hontenſium, Gőmőrienſium, & Heueſienſium, fines.

(c) *Szétſénienſis*, accepit id nominis, a militari olim oppido Szétsény. Qui, campis non minus vberibus, quam ſiluis, inſeſſus, recedit in meridiem.

(d) *Kékőienſi* dedit nomen arx Kékkő. Germanis Blauenſtein, Slauis Modry Kamen. Tenet is oram Comitatus occidentalem, decurritque propter fines Nagy Hontenſium, ab aquilone in meridiem.

5. Arces crebriores habet, dirutas tamen, quam plurimas. Coluntur hucdum:

1. *Kékkő*, Germanis Blauenſtein, Slauis Modry-Kamen, haeredium eſt Comitum BALASSA.

2. Hol-



2. *Hollókő*, Szétsénio, in orientem æſtiuum, vno milliari recedit. Occupat praecipitium, ſiluis circumdatum vndique. Profecto, coruis quam hominibus, habitatu commodior, quare coruorum etiam lapidem i. e. Rabenſtein Germani adpellant, quod hungaricum nomen aeque indigitat.

3. *Somoskő*, eiusdem fere conditionis, longius in ſiluas, ad orientem ſolem, recedit.

4. *Gács*, Slauis Hálitſch, amoenam Comitatus regionem inſedit. Quippe, ampla obiecta planitie, medio in ſeptentriones milliari, Loſontzino diſſidet. Habet & oppidum, ad montis initia, quod pariter haeredibus C. FORGÁCH admenſum eſt.

6. Oppida ſunt ſequentia:

1. *Loſontz*, Slau. Lucſenecz, praecipuum Comitatus eſt, colonos Hungaros ſuſtentans. Recepit & Nobilium multos: eo quod Conuentibus Comitatus illuſtretur ſaepius, condatque tabulas. Ceterum, nundinis maxime inclutum ſcimus, tota hac regione oppidum.

2. *Filek*, ad montis radicem adſedit, cultum mediocriter. Arcem munitiſſimam, TŐKŐLIUS, ope Turcarum expugnatam, dirruit. Nunc KOHÁRIIS paret.

3. *Szétsény*, iucundae vberrimaeque camporum ſeriei, duobus infra Loſontzinum milliaribus, impoſitum eſt. Turcae, cum Budam expugnarent, arcem validam, eamque finitimam, fortique munitam praeſidio, poſſederant; quae tamen ſolo dein aequata fuit. Seditione Rákoczianorum nupera celebrabantur, eadem hac planitie, comitia Rákocziana; id quod, in ann. 1705. incidit. Locus ipſe, in dies deficit, Comitibus FORGACH perpetuus.

4. *Ipoly-Gyarmath*, munitum quondam, ad fluuium Ipolam, perpetuo camporum decurſu, poſitum oppidum, nunc decus priſtinum reſumit.



5. Di-

5. *Divin*, eleganter incolitur, quod, bonitati heri, qui olim Comes CAROLUS ZICHY fuerat, adſcribendum. Arx, ſeu caſtrum, valli, editiori tamen loco impoſitum, dirutum eſt.

7. Supremi Comitis, dignitatem ornat Comes ANTONIUS GRASSALKOVICH, Camerae Regiae Hungaricae Praeſes.

§. XII.

COMITATUS vniti, PEST, PILIS & SOLTH, de quibus ſingulis ſpeciatim. Quia vero vniti ſunt, notandi ante omnia.

1. PROCESSUS, quorum quatuor numerat.
   (a) *Vácczienſis*, citeriori Danubii ripa, oram Comitatus Peſtienſis occidentaliorem, complectitur; eſtque montoſi poſitus, & frequentibus obſitus ſiluis.
   (b) *Ketskemétenſis*, infra Peſtinum, aequor illud campeſtre, intra Danubium, Heueſienſium item & Szolnokienſium exteriorum limites, occupat; neque tam vicis frequens, quam aruis eſt.
   (c) *Soltenſis*, olim, integrum conficiebat Comitatum, iam Proceſſus nomine venit; diffunditurque pone Danubium, vsque ad Batſienſium fines.
   (d) *Piliſienſis*, vlteriore Danubii margine procurrit; eſtque montoſus in occidentem, in orientem campeſtris, ſimul & in meridiem.
2. Regimen: Tres hi vniti Comitatus, olim, cum Reges Hungariae, Budae aut Viſſegradi reſiderent a *Curia Regia gubernati*, nullis ſuberant ſupremis Comitibus. Quae quidem regiminis ratio, ſub Turcarum dominatione, ceſſauerat. Buda vero intercepta denuo a Turcis, *Regni Hungariae Palatino*, gubernandi, commiſſi ſunt Comitatus. Vtraque, & Palatini Regni Hungariae, & Supremi Comitis, in tribus vnitis Comitatibus, dignitas, conceſſa eſt anno 1751. Regis ac Optimatum ſuffragio LUDOVICO e Comitibus de BATTYÁN perpetuo in Németh-Ujvár.

1. CO-



I. COMITATUS PESTIENSIS. Hungaris *Peſt Vármegye*, Germanis die Peſther-Geſpanſchaft, ab vrbe libera regiaque Peſtienſi, nomen tulit. Et is quidem,

1. Ad Vaczinum init, *Cis Danubium*, atque inde, perpetua *Danubii ripa*, montibus ſiluisque obſitus, ad 8. fere milliaria pertingit.
2. *Hungaros* alit quam plurimos, intermixtis nonnullis etiam *Slauorum* coloniis. *Germani* omnium pauciſſimi reperiuntur. Singuli certe, & laborum omnium, & agricolationis, potiſſimum ſunt patientiſſimi.
3. Ceterum, qua *ſeptentriones* reſpicit, regio montibus & ſiluis horreſcit; vbi vero in *meridiem* vergit, atque *orientem*, planitiem occupat, ſumma lignorum inopia vexatur. Vltra vrbem Peſtienſem, notiſſimi illi, *Campi Rákos*, ineunt; vbi, ſub Regibus olim Hungaris, Comitia, armata manu, celebrari ſolebant; quod tamen, inde a clade Mohácſiana, intermiſſum fuit.
4. Duabus inſidetur vrbibus, quarum prima eſt:
   1 *Peſtinum*, Hungaris *Peſt*, libera regiaque vrbs, eleganti poſitione, in ripa Danubii, Budae obuerſa reſedit. In dies haec, & ciuibus augetur, & aedificiis. Sedes eſt, Tabulae Regiae & Septemviralis, perpetua. Quae duo, ſuprema Hungarorum Adpellationis Judicia ſunt. Conditum hic non pridem inualidorum militum domicilium eſt; quod, ſuo profecto tempore, in praeſtantiſſimis Europae ponendum erit. Reliqua de vrbe nota ſunt.
   2. *Waczia*, Hungaris *Vátz*, Germanis Weitzen, vrbs atque ſedes epiſcopalis, annonae facilitate, forisque boariis, imprimis, quae crebriora habet, incluta. Multa hic, eo tempore, boum hungaricorum millia, cogi videas.
5. Oppidorum praecipua tria numerantur.

 1. *Ege-*

1. *Egopolis*, Hungaris *Ketskemét*, prolixius aliquantum, coloniae maxima parte Hungaricae, quae pecora ſuſtentat, ſucceſſu longe feliciſſimo. Nam hoc ipſum oppidum, e foris boariis, laudem dudum iam meruit; immo, & meretur hucdum.
2. *Kőrős*, oppidum frequens, &
3. *Czigléd*, eiusdem ſunt conditionis, itidem pecorum educatione, nobilia.

II. COMITATUS SOLTENSIS Hungaris *Solt Vármegye*, Germanis die Solter-Geſpanſchaft, ab Solt oppido, de quo inferius, ſic adpellatus.

1. Eiusdem fere cum priori, *Danubiani ſitus* eſt; altius tamen, in eadam fluminis margine, deſcendit, omnis prorſus lignationis, montiumque inops.
2. Habitatur ab *Hungaris*, quibus, *Slaui* etiam cum *Germanis*, mixti interſunt.
3. Maxima prouinciae pars *inculta* eſt, adeo: vt, dies integros peregrinari liceat; antequam vicum aliquem, qui pauperrimi etiam ſunt, adtingas. Id, toto hoc tractu commodiſſimum eſt: quod, prolixa haec camporum ſeries, *paſcua* praebeat, *rei pecuariae* intertenendae longe deſideratiſſima. Vnde, non mirandum, ſi incolarum quam plurimos, pecori ſaginando, incumbere videas. Agrorum prouentus exiles ſunt. Nam, nec lubentes agris impendunt operas coloni; nec habent, cur paſcua optima, in agros vertant.
4. Vrbs in eo vna eminet: *Colocſa*, Archiepiſcopi Colocenſis, qui hodie, Franciſcus L.B. KLOBUSICZKY eſt, ſedes. Nonnulli, veterum Coloſſos hic quaeritant. Ea, prope Danubium, in paludoſa planitie, eaque inſalubri, viſitur. Vrbs olim celeberrima fuit, templis & coenobiis incluta; a Turcis tamen, qui crebrius eam impetebant, deſolata. Cardinalis EMERICUS e Comitibus CSÁKY, GABRIEL HERMANNUS e Comitibus PATACHICH, & NICOLAUS e Comitibus CSÁKY, qui iam ab anno 1751. Ar-



Archiepiſcopatui Strigonienſi moderatur, multum ei celebritatis, ſede ſua indiderunt.

5. Oppidorum memorabiliora ſunt:
   1. *Solt*, copioſum frequensque oppidum eſt, annonae ferax; quod tamen in dies deficit.
   2. *Patai*, exilius aliquanto priori eſt, incolas Hungaros ſuſtentans.

III. COMITATUS PILISIENSIS, Hung. *Pilis Vármegye*, Germ. die Piliſer-Geſpanſchaft, ſic dictus a Pilis arce deſerta. Eſt vero

1. Integer *trans Danubium* poſitus, ſiluarum montiumque, qua in occidentem abit, diues. *Orientalis* pars, vbi litore Danubii definitur, planiſſima eſt, adeoque etiam priori illo tractu amoenior. Init ad Viſegradum arcem, Tetenyum vsque, ad 6. milliaria protenſus.
2. Et *Hungaros* alit, & *Slauos*, intermixtis, alibi locorum, *Germanorum* quoque coloniis.
3. Foecunditas, pro ſoli *varietate*, diuerſa eſt. Vbi enim montibus horret, *aſpera* ibi ſunt omnia, vbi autem camporum ſeries conſpicitur, ſumma frugum omnium *fertilitas* eſt. Pecora, magno etiam numero alunt. Fluuiorum, qui Comitatum rigant, multi ſunt; in his tamen Danubius princeps.
4. Princeps in eo vrbs eſt:

(a) *Buda*, Germanis Offen, Slauis Budin. Adſpicit ea Danubium, qua in orientem adpoſita eſt, dudum iam liberis regiisque ciuitatibus adſcripta. Situm collinum accepit, egregiis inſtructa propugnaculis; vt merito antea iam, primum, & in vrbibus & in munimentis Hungariae, locum obtinuerit. Poſteaquam vero, crebriores a Turcis oppugnationes ſuſtinuiſſet: diruta propemodum relicta fuit. Octo earum commemorantur, eaeque graviſſimae. Vide THURÓCZ S. I. in Hungaria ſua p. 41. Facile, profecto, tanto hoſtium impetu, euaſtari potuit, vrbs celeberrima. Attamen hodie quoque, non munita ſolum, ſed compta etiam, re-

reſurgit. Meridiem verſus, *Raſcianorum Vrbem*, ſic enim vulgus adpellat, adnexam habet, pro gentis indole, ſic ſatis cultam. Qua vero ſeptentrionem vergit, altera vrbis pars, *Noua Ciuitas* dicta, reſedit. Porro, & *Arce* excellit, acceſſus ardui, quae, priſtinis etiam Turcarum inſultibus, ad ruinam fere infeſtata, nunc, ob ſummam loci amoenitatem, MARIAE THERESIAE Auguſtae Reginaeque magnificentia regia, reparatur.

5. Arces nobiliſſimae regionem olim occuparunt. Praecipuae in his fuere:

1. *Wiſchegrad. Arx Alta*, in Diplomatibus dicitur, Illyrica hac eius denominatione, idem ſignificante. Nobiliſſima, olim, & munitione exſtitit, & coronae reliquorumque Regni Hungariae inſignium conditorio. Ad montis excelſi, cui arx impoſita fuerat, exitum, vrbs reſedit, pro Regum diuerticulo, ſplendidis aedificiis ad admirationem, exornata. Nunc, & vrbs, & arx, in rudus informe abierunt.

2. *Sámbék*, tribus in occidentem milliaribus Buda recedens, arx munita antea, inculta hodie eſt. Veneratur hodie heros, Comites ZICHY.

6. Oppida, exiliora pleraque ſunt, quam vt ea hic interſeramus. Merentur tamen memoriam,

1. *Buda-Vetus*, tercentum fere paſſibus, ſupra Nouam, ſecedit. Veterum fuiſſe Sicambriam, peruulgata inter quosdam opinio eſt.

2. *S. Andreae*, ſatis copioſum, margini Danubii inhaeret. Duabus Buda horis diſtat, Inſulae cognomini obuerſum.

7. Inſulas praeterea tres, cum uno oppido, nominat, his nominibus inſignitas:

1. *Inſula S. Andreae*, Waczouiae obuerſa, donata alioquin fertili ſolo eſt. Pagis certe frequentibus, qui tamen tenuiores ſunt, colitur.

2. *Cſepel*, eadem qua prior, ſoli fertilitate, vitiumque copia gaudet. Longius haec, intra Peſtinum de-



deſcendit, venationibus maxime commoda. Reges Hungariae, cum Budae ſedem haberent, hac loci amoenitate, tanquam voluptario quodam ſeceſſu, vtebantur. Sereniſſimo Principi EUGENIO, Duci Sabaudiae, a Caeſare donata fuerat. Quam, poſt eius obitum, ELISABETHA, AUGUSTA, quoad vixerat, poſſedit. Nunc, excelſae Camerae Hungaricae, ſubeſt. Praecipuum in ea locum *Rátzkeue* reperio, qui praeſtantiſſima a priſcis Hungariae Regibus priuilegia oſtentat, quorum vſus penitus hucdum intercidit.

3. *Leporum*, nouae veterique Budae interſita. Theriotropheum olim, viridariumque regium, Regum Hungariae fuit, magnificis aedificiis inſtructa; quae tamen, maxima ſui parte, diruta videas. Dicitur, alio nomine, *S. Margarethae Inſula*: eo quod, S. Margaretha BELAE IV. filia in Monialium Dominicanorum clauſtro, ibidem vitam tranſegerit.

8. Supereſt, *Promontorium Eugenianum*, vt de eo quidpiam dicamus. Montoſa regio eſt, infra Budam, laxo ſpatio diffuſa, Eugeniani dominii, qui caſtellum ibidem, ſane magnificentiſſimum, exſtruxit, caput.

9. Hic, celebres illas *Thermas Budenſes*, reperias, quae, crebriores propter ipſam Danubii ripam ſunt. Saluberrimae eae ſunt; adeo tamen plerumque feruentes, teſte WERNHERO, qui in Commentario de admirandis Hungariae aquis, Thermas haſce prolixius deſcribit: vt ouum, aeque cito atque ad ignis aeſtum, excoquant. LAURENTIUS STOCKERUS, in peculiari, de Thermis Budenſibus Tractatu, id adpoſuit. Superiores aliae dicuntur, aliae inferiores. Illae, quod ſupra; hae, quod infra vrbem ſint, nomen accepere.

§. XIII.

COMITATUS BACSIENSIS, Hungaris *Bács-Vármegye*, Germanis, die Batſcher-Geſpanſchaft, nomen ab oppido Bács, ſortitus.

L Et

1. Et hic quidem, infra Soltenſem prouinciam, *perpetuo Danubii margine,* vsque ad *Danubii* atque *Tibiſci,* confluentem, decurrit. Sub Turcarum certe imperio, vaſtata nimiopere haec regio eſt. Longitudo omnis prouinciae, 8. milliaria efficit.

2. Coloni *Hungari* ſunt, parte maxima, *Illyriis*, qui mercaturae quaeſtum facere conſueuerunt, intermixti.

3. Fertiliſſima regio eſt, *cultiſſimaque.* Quae tamen bellorum iniquitate ita deuaſtata fuit: vt crebriora, hinc illincue, *rudera* oppidorum caſtellorumque, occurrant. Paluſtri planitie decurrunt omnia, quae a fluuiolis e Tibiſco egreſſis, faceſſitur. Siluarum pauca, hoc tractu reperias.

4. Oppida memorabiliora, hac ora, haec fere ſunt:
   1. *Bács*, vrbs elegans antehac, populoſa, immo, & aedificiis nobilis, pari infortunio, Turcarum bellis, quod ſaepius querimur, euaſtata. Nunc oppidi nomen ſuſtinet, quod, plerosque Illyrios alit, Colocenſis Epiſcopi dominio ſubiectos.
   2. *Bája*, & frequens oppidum eſt, & amplum, mercimoniis potiſſimum nobilitatum.

5. Supremus isque perpetuus Comitatus Comes eſt, quem Inſula Colocenſis ornauit, FRANCISCUS L. B. KLOBUSICZKY de Zetteny.

§. XIV.

COMITATUS BODROGIENSIS, Hungaris *Bodrogh-Vármegye*, Germanis die Bodroger Geſpanſchaft, ab vrbecula Bodrogh, pone Danubium, ſic adpellatus. Huic

1. Situs, inter *Danubium* & *Tibiſcum*, contigit, in vltimo regni angulo. Adeo plenus paludum eſt, vt vix milliare dimidium, quin ſimiles fiant obuiae, poſſis procedere. Loca eius plurima, tanquam bello parta, olim, ſub imperio Senatus bellici, erant. Iam regno Hungariae ſunt redunita.

2. *Illyrii* habitant regionem, quos Germano idiomate Rätzen dicimus, interiectis & alicabi tenuioribus *Hungarorum* coloniis.

3. Ro-



3. *Romani Aggeres*, totam fere prouinciam hanc perennant. Quos, celeberrimus MARSIGLIUS, Tom. I. operis ſui Danubialis, quantum potuit, adcurate delineauit. Alioquin, piſcium diues eſt regio, fluuiorum tamen inundationibus nimium obnoxia, quae paludum etiam cauſa ſunt.

4. Arcis loco, *Praepoſitura Titulienſis*, aliis *Titelienſis* adpellata, merito nominanda venit. Munita haec fuit eximie. Nam, & poſitum monte arduo, commodum ſatis munitionibus, accepit, & naturalem etiam, ampla planitie, fortitudinem. Nunc, integra fere deſtructa, conſpicitur.

5. Oppida duo admodum merentur mentionem. Quorum haec ſunt nomina:
   1. *Futak*, vbi anno 1716. & 1717. Caeſaris copiae, ad compeſcendas Turcarum anomalias, conuenerunt.
   2. *Zentha*, inſigni Turcarum clade, qui triginta hic, ſuorum millia amiſerunt, inclutum.

6. Supremi Comitis dignitas ambulatoria, LEOPOLDO è Comitibus DRASKOVICH de Trakostyán, contigit.

Tantum, de Hungaria Cis-Danubiana!

## MEMBRUM II.

DE

## HVNGARIA TRANS-DANUBIANA.

1. HAec illa veterum PANNONIA eſt, nec ea tamen integra. Prout enim in *Superiorem*, *Inferioremque* diſpeſcebatur: ita, illi quidem, ea pars, quae a Raba flumine ad montem vſque Cetium, Viennae imminentem protenditur; huic, omne id, quod vltra Rabam ad Sauum uſqve colebatur, deceſſit

2. Vndecim ora hæc COMITATUS tenet, maxima ſui parte, & ſitus amoenitate, & foecundia exoptatiſſima, adeo praeſtantes; vt citerioris Hungariae Prouinciis,

haud

haud dixerim ſecundos. Nos, pro ſuo quemque poſitu, percenſebimus.

### §. I.

COMITATUS MOSONIENSIS, Hung. *Moſon Vármegye*, Germanis die Wiſelburger Geſpanſchaft a celebri olim vrbe Moſony, quae Germanis Viſelburgi nomine venit, nomen ſortitus.

1. Ad ſitum huius quod adtinet: Hungariae is Auſtriaeque limitibus acceſſit, trium quatuorue milliarium latitudine, ad ſex vsque lapides decurrens. Planities hic viſitur perpetua; eaque, & Sopronienſi Comitatui & lacui Nezidero, ab *occidente;* ab *oriente* vero Danubio, contigua. Qua autem in *meridiem* abit, Comitatum Sempronienſem & Jaurienſem regionem adtingit.

2. Coloni *Germani* ſunt, veterum ſeu *Boiorum*, quorum hic fuere deſerta; ſeu prorſus *Gothorum*, reliquiae. Certe, loquendi modo a reliqua Germanorum gente diſcernuntur nimium. Alioquin, ſtrenuorum agricolarum laudem eximiam, merentur vniuerſim omnes. In quibus, & *Croatas* paſſim, Solymanni temporibus, hic quaerentes perfugia, reperias.

3. Si, a foecunditate ſoli, prouinciae felicitatem metiri voluerimus: conſummatam merito, dixerim. Nam, & frumenti, & tritici, & auenae, & foeni, tantam ſaepius copiam producit; quanta, & immenſa eſt, & optima, adeo quidem; vt, perpetua cum Viennenſibus frumenti communicatione, promptuarium quaſi eorum, dici meruerit. Vitis, quam ſerunt coloni, fructum, non adeo inſignem exhibet.

4. Diſpeſcitur in PROCESSUS duos, Leitha amne diſcretos. Sunt autem:

(a) *Cis-Laithanus.* Continet is omnem eam regionem, quae inter Laitham & Danubium interiacet; quin & Danubium transmittit, vicoſque illic aliquot, intra fines recipit.





(b) *Trans-Laithanus*, tractum, qui inter Laitham & Peiſonis lacum intercurrit, occupat, a Sempronienſium limitibus, vſque ad fines Iaurienſium, diffuſus. Plano vterque terreno eſt, & niſi, qua Peiſoni accedit propius, in colles ſurgit.

5. Vrbes habet praecipuas:

1. *Ouarinum*, Hungaris *Ovár*, Germanis **Ungariſch Altenburg.** Vrbs, Turcarum bello, fortiſſimis munitionibus inſtructa, parte orientali regia arce inſignis eſt; quae tamen integra propemodum in granarium abiit. Laitha fluuius, qui hic Danubio iungitur, vrbem circumfluit, propinquus adeo; vt opportuniſſimus inſtruendo propugnaculo foret. Ceterum, in bonorum Reginae primis, numeratur, vetere iam Comitatus conditione. Maxima enim eius pars, Reginae Hungariae perpetuo eſt propria. Quapropter, peculiari vrbs adminiſtratori ſubeſt, qui rem omnem pro Reginae commodo dirigere conſueuit. Habitatores, foris potiſſimum boariis, quaeſtum faciunt; quae, & frequentiſſima ſunt, & Auſtriae proficua.

2. *Nezider*, Germanis **Neuſidel**, vrbecula ſatis culta, pone lacum cognominem inſedit. Vino potiſſimum proficit, agrorumque frugibus.

6. Oppida eo frequentiora reperias, quo commodiorem colendi ſitum nacta eſt regio. Sunt vero:

1. *Moſonium*, Hungaris *Moſon*, Germanis **Wiſelburg**, celebris antehac vrbecula, nunc oppidum eſt, inclutum hodieque. Coloni frugibus maximum quaeſtum faciunt.

2. *Gáloſium*, Hungaris *Gálos*, Germanis **Golß**, frequens oppidum, in mediam fere prouinciam ſubductum.

3. *Fél-Torony*, Germanis **Halb-Thurn**, amoeniſſimus ille, auguſtiſſimi CAROLI VI. Caeſaris, ſeceſſus, qui ſplendidum ei palatium inaedificauit. Habet & equariam inſignem, cum campis ſiluiſque, venationi commodiſſimis.

4. *Kőptsénum*, Hungaris *Kőptsény,* Germanis Kitſee, obiacet Piſonio, ingens oppidum, caſtello, quod Princeps ESZTERHÁZY, non ita pridem inſtaurauerat, hortoque phaſianorum nuper admodum condito, inſigne.

5. *Oroſzvárum*, Hungaris *Oroſzvár*, Germanis Carelburg, propius a litore abeſt Danubii, duobus Piſonio milliaribus reductum. In haerediis Comitum ZYCHY cenſetur. Vnde ii, & de Oroſzvár dici conſueuerunt. Eleganti commodaeque habitationis caſtello, heri bonitate ſuperbit.

6. *Rajka*, Germanis Rackendorff, inter multos Nobilium diſtracta poſſeſſio, in orientem vergit aeſtiuum.

7. *Szent Miklós*, Germanis St. Nicola, vicus quidem eſt; ſed, nec ſitus amoenitate, nec frequentia, vlli Comitatus oppido ſecundus. Editiorem locum caſtellum occupat, Comitis CAROLI ZICHY ſumtibus eleganter exſtructum.

7. Reges ante hac ipſi, aut familiares eorum, ſupremi Comites dicebantur. Nunc munus illuſtre, Comes FRANCISCUS ESZTERHÁZY Iunior, ſumma cum bonitatis laude, adminiſtrat.

§. II.

COMITATUS SOPRONIENSIS, Hungaris *Soprony Vármegye*, Germanis die Edenburger Geſpanſchaft, a libera Regiaque ciuitate Sopronienſi, nomen indeptus.

1. Ab *ortu* brumali, init ad Moſonienſium fines, inter Auſtriae limites, ripamque Peiſonis, extenſus. His ille finibus, *ſeptemtrionali* parte, ad *occidentem* vſque, procurrit; vbi demum, Comitatum Caſtriferrei, accedit propius. Quo itinere emenſo, in Inſulam Rábakőz, Germanis die Rabau, vſque ad Iaurienſes, deflectit, lacum Peiſonem, forma ſemicirculari, contingens. *Longitudinem*, quam tantis his flexibus emetitur regio, 10. milliarium circiter; *latitudinem*, duorum, trium, alibi & quatuor, efficere milliaria, acce-



accepimus. Vaſtam hic planitiem conſpicias, hinc ſolum atque illinc, collibus eminentibus interſtinctam.

2. Colitur, Comitatus pars altera, atque ſuperior, a *Germanis;* ab *Hungaris* inferior, atque Rabakőz, qui, vino & frumento, maxime impendunt operas.

3. Ceterum, tanta ſoli foecunditate gaudet: vt, nec frumenti nec vini nobilioris copiam, maiorem vſpiam deſideraueris. Lacus *Peiſo* prouinciae accedit, quem Hungari *Fertő,* Germani Neuſidler See, adpellant. Interſita quidem aliqua eius pars, & Moſonienſium agro eſt; maxima tamen, quod ſcimus, Sempronienſi huic inhaeret.

4. In PROCESSUS & DOMINIA, communiſſime diſpeſcitur regio.

1. Proceſſus numerat quatuor.

(a) *Superior, extra Rábam*, regione profertur ſuperiore.

(b) *Inferior, extra Rábam*, ad amnem Réptze exit.

(c) *Interamnenſis ſuperior*, occupat inſulae Rábakőz partem ſuperiorem.

(d) *Interamnenſis inferior*, prorogatur per inferiorem inſulae oram.

2. Dominia duplicis ſunt nominis.

(a) *Principis Eſzterházy.* In his numerantur: 1. *Dominium Kis-Martonenſe*, ſeu, *Eiſenſtadienſe.* 2. *Sarukő*, ſeu, *Hornſteinienſe.* 3. *Frakno*, ſiue, *Forchenſteinenſe:* 4. *Lánſér*, ſeu, *Landſeenſe.* 5. *Kőboldenſe.* 6. *Leukenſe.* 7. *Kapuvárienſe.*

(b) *Variorum:* 1. *Dominium Epiſcopatus Iaurienſis.* 2. *Praepoſiti Cſornenſis.* 3. *Praeſulis Cellenſis.* 4. *Arcis Kereſzt-Ur.* 5. *Kőſzſzőgienſe.* 6. *Széplakienſe.* 7. *Bona Comitum & Nobilium.* 8. *Bona L. Regiaeque Civitatis Sopronienſis.*

5. Tribus inſidetur liberis Regiisque vrbibus. Harum princeps eſt:

1. *Sempronium*, Hungaris *Soprony*, Germanis Oedenburg. Quod nomen, inde ab Ottocari tempori-

ribus, qui vrbem ampliſſimam euaſtauerat, repetendum eſt. Elegans hucdum eſt, & bene culta; exigua tamen, niſi ſuburbia, quandam ei, magnitudine, celebritatem adderent. Inclaruit aliquot Regum coronationibus, comitiisque. Ciues plerique Germani ſunt, vinum,inter nobiliſſima Hungariae merito referendum, colentes. Atque hic, omnino, maximus ciuium quaeſtus eſt. Sileſii quippe, magnam vini copiam, quotannis hinc euehunt. De vinoSempronienſi,vid. Prodromus MATTHIAE BELII.

2. *Ruſtinum*, Hungaris & Germanis *Ruſzt*, ad lacum Peiſonem, duobus Sempronio milliaribus, in ſeptemtrionem recedit. Parua quidem vrbecula; at comta tamen ſatis. Incolas humanitatis prorſus filios dixeris. Ita peregrinos ſibi deuinciunt. Diligentes non minus, quam rei domeſticae cum cura gerendae, ſolerter intenti. Vina eorum, pari cum Sempronienſibus vice, ſubuehuntur Sileſiae. Vlterius eſt,

3. *Kis Marton*, Germanis Eiſenſtadt. Et haec quidem, commodum, ad Laitham amnem, poſitum nacta eſt; tenuior tamen prioribus. Arce inſignitur, quam Princeps PAULUS ESZTERHÁZY, Regni Hungariae olim Palatinus, ſumtibus regiis, regiaque magnificentia, exſtruxit ornauitque.

6. Arces tenet plures, quam vt adnotare eas, vel ob multitudinem, vel ob interitum etiam, habeamus neceſſum.

1. *Frakno*, Germanis Forchenſtein, eo potiſſimum nomine inſignis; quod in titulis gerant, Principes & Comites Eſzterházy. Excedit ea altius, bene ſatis munita, quapropter & Principis memorati aerarium eſt. Hinc ſecedunt:

2. *Szárukő*, Germanis Hornſtein. 3. *Landſee*, Hungaris *Lanſér*. 4. *Lakenbach*. 5. *Kobold*, Germ. Koberſdorff. 6. *Kereſztur*, Germanis Kreutz.

7. Ka-



7. *Kapuvár*, in Inſulam Rábaköz reiecta. 8. *Leuka*, Lokenhauſen. Pleraeque harum exiles ſunt, & vel munitae aliquantum, vel ſoli tantum habitationi adparatae.

7. Elegantiorum oppidorum nulla hoc Comitatu inopia eſt. Tota enim regio, quam late patet, copioſiſſime colitur. Praecipua haec fere ſunt:

1. *Széles kut*, Germanis Bräithenbrun. 2. *Fekete Város*, Germanis Burbach. Ambo haec, ad partem lacus Peiſonis ſeptemtrionalem reiecta, muris incluſa ſunt. Generoſum vinum ferunt colles vtrorumque; haud tamen, vel Sempronienſi, vel Ruſtenſi, comparandum. Ditioni Eſzterhazianae ſubſunt.

3. *Rákos*, Germanis Kroißbach, quod idem ac Krebſenbach ſignificat, perpetua Epiſcoporum Jaurinenſium poſſeſſio eſt, qui, amplum ei caſtellum inaedificarunt, in occidentali Peiſonis litore. Excellit vino, aeque nobili inclutum.

4. *Kereſzt-Ur*, Germanis Creutz.

5. *Nyék*, Germanis Neckenmarck.

6. *Cſepregh*, tenuioris ſortis ſunt.

8. Supremi Comitis dignitate, Princeps S. R. I. PAULUS ANTONIUS ESZTERHÁZY potitur; idque, vt volunt quamplurimi Comitatus, iure haeditario.

## §. III.

COMITATUS CASTRIFERREI, Hungaris *Vas Vármegye*, Germanis die Eyſenburger Geſpanſchaft, a munita arce Vasvár, quae intercidit, ſic denominatur. Et is quidem,

1. Commodo poſitu reſedit, agris cum fructu colendis, apprime idoneo. Ad Sempronienſis Prouinciae fines, capit initia; vnde demum, longo itinere, ad Stiriam vſque pertinet. Id certum eſt, vnum e maximis Hungariae Comitatibus eſſe, eumque campis & collibus obſitum.



2. Co-

2. Colitur, ab Hungaris, Slauis, Croatis, plurimum vero a Germanis, qui regionis felicitatem, induſtria diligentiaque ſua, reddunt ampliorem.

3. Fertilitatis tantae agros continet; vt feliciſſimam incolarum conditionem dixerim non immerito. Frumentum fructuſque, generis omnis, ita proueniunt; vt nuſpiam copioſius. Vino in primis celebrandus venit, eo potiſſimum, quod in monte Somlyó colitur. In quercetis, magnam porcorum gregum copiam, ſaginant incolae; quin volatilia etiam educant quam plurima, quae Viennenſibus ſubminiſtrare conſueuerunt.

4. PROCESSUS quatuor numerat prouincia, quorum haec ſunt nomina:
(a) *Superior Germanicus*, ſiue *Ginzienſis*.
(b) *Montanus*, ad fluuium Mura.
(c) *Sárvarienſis*, ad fluuium Rába.
(d) *Submontanus*, ſeu Kemenyes alá.

5. Vrbes, hac in prouincia, ampliſſimae, duae ſunt:
1. *Kőſzőginum*, Hungaris *Kőſzőg*, Germanis Günß, libera regiaque ciuitas, quae, Turcarum Sultano Solimanno, cum ea anno 1531. oppugnaretur, propugnante acerrimo viro Iureſtihio, tam fortiter reſtitit: vt, ſummam ſibi, apud omnes, laudem fortitudinis conciliauerit. Exigua quidem eſt, nec ſplendida adeo aedificiis; celebris tamen vini prouentu, & fructuum in primis, qui peculiares hic copioſe proueniunt. Proinde ea, Regi pomorum perſicorum, ſicuti Piſonium ceraſorum, Sempronium vuarum, primitias ſubminiſtrat. Ciues Germani ſunt, intermixtis tamen etiam Hungarorum plerisque.
2. *Sabaria*, Hungaris *Szombathely*, Germanis Stein am Anger, Romanorum vetus colonia fuit, cuius rudera viſuntur hodieque. Vrbs alioquin eſt copioſa, non tamen regia, fertili potiſſimum & amplo agro donata.

6. Mon-



6. Montanas arces quam plurimas numerat, quae validis olim praeſidiis fuere inſtructae. Sunt:
1. *Német Ujvár*, Germanis Güſſingen, germanorum opus eſt pluribus iam obſidionibus ſuperſtes. Nunc Battyaniorum familia poſſidet.
2. *Váſvár*, Germanis Eiſenburg, locus antea munitus, à quo tota prouincia denominata fuit; nunc in dies ruere incipit. Habebat & Canonicorum Capitulum, amiſſa tamen Caniſa, Sabariam translatum.
3. *Kőrmőnd* propius abeſt a priori, ad alterum tamen fluuii Rábae, qui mediam Regionem perluit, marginem reiecta.
4. *Arx rubra*, Germanis Rothen Thurn, Hungaris *Vőrős Vár*. Potiuntur arce, Comites Erdődii.
5. *Monyorókerék*, a qua, ſuum Comites Erdődii titulum de Monyorokerék, tulerunt.
6. *Salonica*, Germanis Stleinik, Hungaris *Szálonok*, praerupto monti inſedit, eſtque aditus difficilis. Enimuero, commeatus aſinorum miniſterio, inferendus eſt; ita anguſtas habet ſemitas.
7. *Dobrá*, eiusdem ſitus cum priori, Slauorum opere ſolerter aedificatum; quod & ipſum nomen indigitat.
8. *Fanum S. Gotthardi*, locus eſt, quem victoria de Turcis anno 1664. parta, celebrem fecit. Hungari *Szent-Gróth* vocant oppidum.

7. Oppidorum haec ſunt nomina:
1. *Sárvár*, quod luteam arcem ſignificat, ab Hungaris colitur. Sunt, qui Boiorum temporibus adſcribant oppidum, quod ex Sabariae vrbis celeberrimae ruderibus exſtructum fuerit; quod tamen ipſa oppidi denominatio haud admittit.
2. *Rohonz*, in occidentem a priori recedit, loco editiore poſitum. Habitatur a varia, Hungarorum Germanorum & Croatarum, plebe.
3. *Saloncz*, arci quam deſcripſimus, adſedit, muro incinctum. Inquilinos habet Germanos, veteri



illa

illa Boiorum lingua loquentes. Templum in ſuburbiis amplum eis eſt.

4. *Güſzinga*, Német Ujuarienſi arci appoſitum eſt oppidum, & agro & pecore multo. Celebris antehac, fuit hoc loco, Abbatia; quae tamen dudum iam translata aliorſum eſt.

8. Supremus isque perpetuus Comes eſt, LUDOVICUS e Comitibus de BATTYÁN, Regni Palatinus.

§. IV.

COMITATUS SZALADIENSIS, Hungaris *Szala Vármegye*, Germanis die Salader Geſpanſchaft, nomen a munito loco Szala accepit.

1. Amoeno is eſt poſitu, ad Balatonem lacum, montano quidem; altera tamen parte planiſſimo, ſiluis tamen lacunisque obſito. Viginti propemodum milliaria longitudinis emetitur, latitudinis vix quatuor; quippe, ab *occaſu* Stiriae partim, partim Slauoniae, accedens, inde demum, *ſeptemtrionali* latere, a Comitatu Caſtriferrei diremtus, Veſprimienſi in *oriente* iungitur.

2. *Hungari* colunt potiſſimum; quibus tamen, & *Slauorum* aliqui, & *Croatae*, interſunt, & lingua inficeti & moribus.

3. Fertilis quoque ora eſt, nec vini cultu, aliorum frumenti aut fructuum generum copia, poſtrema. Litora in primis Balatonis lacus, frequenti vite conſita, conſpicias. Pecuaria piſcatoriaque re, prorſus excellit Comitatus. Ceterum, obnoxius eſt multorum fluuiorum exundationi, quorum hi ſunt principes:

1. *Drauus*, de quo ſupra parte generali diximus.
2. *Szala*, qui ab occidente in orientem fertur, eo nomine notandus potiſſimum; quod Balatonem lacum, de quo ſupra commemorauimus, efficiat.
3. *Mura*, veteribus *Sabaria*, longis ambagibus hic diuagatur, peninſulam Muraköz molitur. Amœna ea regio eſt, Zrinianae olim, nunc Althanianae ditionis.

4. Quin-



4. Quinque PROCESSIBUS abſoluitur prouincia. Sunt vero:

(a) *Maior, Sedis Kapornak*, a riuo Valitzka incipit, longius ad Muram fluuium protenſus.

(b) *Minor, Sedis Kapornak*, eodem quo prior tractu incipit, ad Salam amnem vſque diuagatus.

(c) *Sedis Szántó*, qui a Szala ad Leſentſum vſque procedit.

(d) *Sedis Tapoltſa*, in prioris finibus ſumit initia; inde demum, ad poſſeſſionem Alſó-Eörs, vltimam nempe Comitatus, excurrens.

(e) *Dominii Inſulae Muraköz*, quod non ita pridem ſeparatum eſt. Antea enim, ſub maioris Sede Kapornak Proceſſu, continebatur idem hoc dominium.

5. Munimenta tria potiſſimum Comitatum tuentur.

1. *Szala*, celeberrimum olim Romanorum propugnaculum, nunc tenue admodum viſitur; inſignis tamen hodieque Abbatia eſt ciuibus Hungaris.
2. *Caniſa*, nobile municipium eſt, quod tamen, iuſſu Leopoldi, anno 1702 ſolo aequatum fuit. Conſidet paluſtri loco, ſtagnante fluuio cognomine Caniſa, qui digreſſus inde, in Muram exit. Cincta igitur vndiquaque, & paludibus conſpicitur, & arundine: vt difficile ſit, eius oppugnationem inire. Non areſcunt lacus, nec fluuius deriuari aliorſum poteſt. Nunc, adeo oblitterata propugnacula ſunt omnia: vt, ne minima quidem, munitorum operum, adpareant veſtigia. Nam, ſaepius atque iterum, obſidebatur a Turcis, immo & intercepta fuit.
3. *Cſaka-Tórnya*, Germanis Tſchackaturn, quae nomen a vetere illa Cſakiorum gente accepit, quatuor a priori ſtadiis diſcedit, paludibus aeque cincta vndiquaque. Alioquin, vino celebratur, quod, ob nimiam dulcedinem, Tokaienſi ſpeciei adnumerant.

D 5 6. Ar-

6. Arces multae viſuntur. In his celebres pleraeque, atque munitae. Nomina vero haec habent:

1. *Cſobantz*, litus Balatonis inſedit, monte alto & hilari, cuius latera, amoeni luci nemoraque, conueſtiunt. Eſt in poteſtate Principis Eſzterházy.
2. *Tihony*, in ſinu lacus Balaton, praerupta rupe, veteri opere conſpicitur. Modica tamen eſt, vixque centum praeſidiariis accipiendis ſufficiens. Poſſeſſio eſt Archi-Abbatiae S. Montis Pannoniae.
3. *Szegliget*, Lengyeliorum, mille á Cſobantz paſſibus diuulſa eſt. Eundem Balatonis marginem inſedit, monte ſuppari, amoenitate tamen longe deſideratiſſima.
4. *Alsó Lendva*, antiqui operis, paulum a lacus litore recedit. Natalibus Comitum Bánfiorum, qui emortui iam omnes ſunt, celebratur. Nunc, regia munificentia, in Principis Pauli Eſzterházii dominationem abiit.
5. *Fenékvár*, vltra Szegligetum, depreſſo loco. Viſuntur, hic quoque, rudera laxae Romanorum coloniae.
6. *Sümegh*, in amoenum monticulum reiecta, nobilis olim fuerat, munita praeſidio, quod hodie exulat. Eſt Epiſcoporum Veſprimienſium perpetua.

7. Oppida plura Comitatui inſunt, quam vt ſingula, vel ob multitudinem, vel ob tenuitatem, conſignare neceſſum ducamus. Nobiliora ſunt:

1. *Legrád*, munitionibus inſtructum egregiis, & ad Murae & Draui confluentem adpoſitum, hodie celebre oppidum eſt. Incolas, partim nautas, partim agricolas ſuſtentans.
2. *Lövő* opportunitate loci maxima, nobile. Adpoſitum & Caſtellum habet, Szala fluuio propius accedente, egregie ad defenſandos incolas idoneum.
3. *Egerſzeg*, ad Szalam fluuium, muris olim gaudebat; quos tamen Turcarum iniuria abſorpſit. Incolae Hungari ſunt.

4.



4. *Tapolcza*, fontem habet ſulphuroſum, balneis potiſſimum idoneum; quin, domo etiam Epiſcopi Veſprimienſis eleganter inſtructa ſuperbit.
5. *Stridonia*, S. Hieronymi, vt quidam perhibent, patria, in Murae peninſula excitatum.

8. Acidorum fontium, duos habet Comitatus; alterum in *Füred*, in *KékKut* alterum. Ambo, & potu commodi, & balneis; hic tamen poſterior, & vilior priore eſt, & parcior.

9. Supremi Comitis dignitatem, S. R. I. Comes MICHAEL IOANNES ab ALTHAN, a Caeſare Auguſto, iure perpetuo accepit.

§. V.

COMITATUS VESPRIMIENSIS, Hungaris *Veſzprim Vármegye*, Germanis die Weſprimer Geſpanſchaft, ab vrbe Epiſcopali Veſprimio ſic denominatur.

1. Szaladienſi, ab occidente confinis eſt; vbi demum, a lacu Balatone, in orientem brumalem adſcendit; vſque dum, variis ad lacum eundem flexibus, perpetua camporum ſerie, ad Jaurienſem Sempronienſemque prouinciam, a ſeptemtrione meridieque, ad Albaregalenſem Tolnenſemque, accedat.

2. Hungari maximam partem inſident Comitatum, porcorum paſtibus, quaeſtum aliquem facientes.

3. Hunc Comitatum ſilua *Bakony*, ingens illa, exaſperat, de qua parte generali dictum iam eſt. Duodecim fere in longum, in latum 2. 4. & 5. nonnullibi milliaria protenditur, meris referta quercubus. Proinde, innumeros porcorum greges educunt coloni, quos demum, in multas Regni prouincias, agere conſueuerunt. Carne certe porcina, plerumque veſcuntur, quae res locum fecit dicterio: *Veſprimienſium colonorum carnem bubulam in arboribus creſcere.* intellige: quod porci, glande ſaginati, bubulae ſint loco. Ceterum & ſoli fertilitate gaudet eximia, & ſalubritate aeris. Quare, nulli Regni prouinciae, vllo vitae commodo, ſecundam dixerim regionem.

4. Ab-

4. Abſoluitur PROCESSIBUS tribus, quorum haec ſunt nomina:

(a) *Superior*, ita dictus, quod partem Comitatus ſuperiorem, qua is Semproniensi, Iaurienſi, Comaromienſi & Albenſi prouinciae, adfinis eſt, ambiat.

(b) *Mediocris*, rectius fere medius diceretur. Mediam enim Comitatus partem inſedit, longitudine trium, latitudine duorum milliarium. Totam ſi circumfuſam monti Somlyo planitiem exceperis, Silua Bakony occupat.

(c) *Inferior*, integer pone lacum Balatonem procurrit; hoc eſt, a finibus Szaladienſis prouinciae, facto, iuxta limitem Albenſem, flexu, vſque ad confinium Simegienſis. Latitudo, qua maxima eſt, duo exaequat ſtadia.

5. Vrbs Comitatum vna inſedit, eaque Epiſcopalis *Veſzprimium*, Hungaris & Germanis *Veſzprim*, ad montem reſedit, munita olim non poſtreme. At enim, anno 1702 nudata munitionibus, ſuperiorum iuſſu, fuit. Circum vrbem vallis eſt, vbi ſuburbia conſpicias multis variiſque fontibus irrigua, in quibus ciues Hungari habitant.

6. Arces hae fere ſunt praecipuae:

1. *Cſeſnek*, Bakonyenſi ſiluae, amoeniſſimo commodiſſimoque loco, impoſita eſt. Habet & oppidum, cultum egregie, quod in ſeptemtriones recedit.

2. *Papa*. 3. *Palota*.

7. Oppida ſequentia hoc tractu reperimus.

1. *Pápa*, elegans merito oppidum,&,ob ſummam loci amoenitatem, commemorandum. Celebre olim munimentum fuit; cuius tamen, quod ſolo aequatum anno 1702 fuit, pauca adparent veſtigia. Nunc, FRANCISCI Comitis ESZTERHÁZY ditioni accenſum eſt.

2. *Palota*, cum arce elegantis operis. MATTHIAS enim CORUINUS, ſumme eam in deliciis habuit; quip-



quippe quam ipſe magnifice ſatis inſtruxerat. Nunc, poſt multa variaque bellorum mala, multum adeo ruinae accepit. Duobus Veſzprimio milliaribus Albam regalem verſus recedit, eſtque Zychianum.

3. *Nagy Vaſonkő*, Germanis Waſchon. Aeque Zychianae dominationi paret, qui hinc de Vaſonkő, dici conſueuerunt.

8. Supremus Comes, iſque perpetuus, Epiſcopus Veſzprimienſis eſt, nunc, MARTINUS BIRÓ de PADÁNY.

## §. VI.

COMITATUS IAURIENSIS, Hungaris *Győr Varmegye*, Germanis die Raaber Geſpanſchaft, a celebri illo Iaurienſium propugnaculo, nomen indeptus.

1. Ad Veſprimienſium fines, a meridie ad Sempronienſium; ab occidente, lata vndiquaque patente planitie, accedit. Septemtrionalis autem Comitatus regio, Moſonienſi; Comaromienſi orientalis, terminatur.

2. Hungarorum recipit colonias, quae agris colendis potiſſimum, cum cura vinearum, reique pecuariae, operas impendunt.

3. Tota regio, collibus vitiferis conſita eſt, vinum non ſortis poſtremae fundentibus. Qua vero in planum abeunt colles, campi, rei pecuariae intertenendae commodiſſimi, reſedere.

4. Conſtat PROCESSIBUS tribus, a ſitus indole adpellatis.

(a) *Tó Köz*, ita dictus; quod, Rabcza hinc amne, illinc paludibus, claudatur. Complectitur autem partem Comitatus occidentalem, qua is agrum Moſonienſem & Sopronienſem adtingit. Quia vero medium fere Rabcza amnis ſecat: bifariam diuiditur; vocaturque pars vlterior, *Terra trans Rabczam*; pars autem citerior, *Terra interamnenſis*.

(b) Pro-

(b) *Proceſſus Deſerti*, Hungaris *Győri Puſzta*, procurrit in meridiem, & pone Danubium, in orientem; hic quidem, vſque ad Comaromienſium, illic, ad Veſzprimienſium limites. Hunc quoque, proceſſum, bifariam diuiſere: in *Fölsö Sokorro*, ſeu *Sokorro Superius*; & *Alsó Sokorro*, ſeu *Sokorro Inferius*.

(c) *Proceſſus Inſulanus*, Hungaris *Sziget Köz*, vergit in ſeptentrionem propagaturque per extremam inſulae Cſallokőz ſeu Schűtt oram, riuo Cſilis, in duos Diſtrictus, *Cſiliskőz* & *Szigetkőz* diuiſus.

5. Munimentum Comitatui ineſt longe celeberrimum, *Jaurinum*, Hungaris *Győr*, Germanis Raab. Multo notius propugnaculum, quam vt prolixius a nobis deſcribi debeat. Nunc, in dies, fortioribus antemurariis vallis munitur. Caſtrum ipſum, anteriore parte, vrbs eſt libera atque regia nec nobiliſſimis quidem ſecunda. E commoda, ob accedentem Danubium, mercaturae, & ob circumſitam vndiquaque planitiem, annonae vilitate, merito nobiliſſima eſt. Duo tamen, ad felicitatem loci conſummandam, deſunt; ligna & aquae. Namque, quaerit aquas in aquis, ad confluentia, quippe, trium amnium, Danubii, Rabae, ſeu Arrhabonis, & Rabczae reſidens. Porro, ſede Epiſcopali non minus, quam Canonicorum etiam Capitulo, illuſtris eſt. Suburbia habet ampla, humilioribus aediculis inſtructa: vt, cum neceſſitas poſcat, & obſidio metuatur, dirui facile queant. Ciues Hungari ſunt, Germanis mixti. Praeſidium olim Germanicum; iam Hungaricum etiam admiſit. Reliqua de propugnaculo nobiliſſimo, nota ſunt.

6. Arces nullas, hac regione, videas; ſeu, quod exſtructae fuerint rarius; ſeu, quod interciderint iam, praeter:

1. *Jaurienſem.* Septemtrionali haec vrbi lateri impoſita eſt, eleuatior aliquantum.

2. S. Mar-



2. *S. Martonenſem*, Archi Abbatiae Benedictinorum.
3. *Hedervárienſem*, quae olim celebris fuit; hodie tamen, ne vmbram quidem floris priſtini, retinet.

7. Praeter arces has, pauca memoranda obueniunt. Sola *S. Benedicti Archi-Abbatia de S. Monte Pannoniae S. Martini*, aliquam meretur conſiderationem. Duobus Iaurino milliaribus in meridiem, monti adſurgenti altius impoſita, diſſidet. Vnde, a longinquo iam, circumfuſa planitie, conſpici poteſt. Clauſtrum ipſum ſaepius deſolatum fuit, nec potuit, quin aliquamdiu, deſertum relinqueretur. Nunc ſplendide reaedificantur omnia. In ſacello Subterraneo, vbi primus Hungarorum Rex S. STEPHANUS, cultui diuino ſaepius vacauiſſe dicitur, ſella eius altari obuerſa, rubro inciſa marmori, oſtenditur; qua ſi quis conſederit, a malo, vti ferunt, Iſchidiaco, liberatur. Quod reliquam Coenobii conditionem adtinet, diues id eſt. Archiabbas exemtus ab omnibus; adeo quidem, vt Conuentuales eligere poſſit, a Rege demum ſtabiliendos. Id memoratu dignum eſt, plus vini Coenobio eſſe, quam aquarum. Proſpectus certe in late patentes campos, habet incomparabiles.

8. Supremus Comes is perpetuo eſt, quem dignitas Epiſcopi Iaurinenſis ornat. Hodie, axioma hoc tutatur: FRANCISCUS e Comitibus ZICHY de Vaſonkő.

## §. VII.

COMITATUS STRIGONIENSIS, Hungaris *Eſztergom Vármegye*, Germanis die Graner Geſpanſchaft, denominationem ſuam metropoli prouinciae debet.

1. Exilis regio eſt, 5. admodum milliaribus procurrens, latitudine at tribus ſaepe ſtadiis, terminata. Verteſii montes, maximam regiunculae partem, occupant, pauca relicta planitie, & ea quidem referta colliculis. Fluuii, regionem plures interfluunt. In his princeps *Danubius* atque *Granus*. Vnde, nec

palu-

paludes, nec lacunas, deſideraueris. A ſeptentrione & oriente, Comitatus Comaromienſis; Hontenſis ab oriente; a meridie denique Albenſis & Piliſienſis Comitatus, Prouinciae fines ſunt. Seiungitur vero a Iaurienſi, intercurrente Comaromienſis Comitatus parte trans Danubiali.

2. Hungari occupant, intermixtis Germanorum Slauorumque hinc inde coloniis; quae, ob operarum, in primis ruſticarum, diligentem obſeruationem, commendantur.

3. Regio, vti diximus iam, montoſa partim, partim plana eſt, Danubio, partibus ambabus, praeterlabente. Frumento imprimis próficit pars regionis, pars ſterilis, ob tenacem humum eſt. Vinum vbique colunt habitatores; quod, & album prouenit, & rubrum. Hic nobile, vilius illic eſt, prout ſoli conditio variat. Fructuum ſumma perpetuo hic vbertas eſt; ferarum tamen, ſicubi, hic certe defectus ingens. Pecora reliqua, non tam quaeſtus, quam vſus, ad agricolationem, cauſſa, ſaginant.

4. Diuiditur in PROCESSUS duos, quos interlabens Danubius diſterminat.

(a) *Strigonienſis*, eam Comitatus oram conficit, quae meridionali Danubii ripae adiacet.

(b) *Párkanenſis*, definit aduerſam Strigonio regiunculam, & infra quidem montibus, planitie ſuperius, abſoluitur. Hunc ſoli fere Hungari habitant.

5. Liberam regiamque Ciuitatem habet *Strigonium*, Hungaris *Eſztergom*, Germanis Gran, Slauis Oſztryehom. Eſt Sedes Archi Epiſcopalis, praeterea etiam notum ſatis propugnaculum. Exigua quidem vrbs ipſa eſt, ſed muris tamen valida ſatis; licet ſaepius, bello ciuili recrudeſcente, euaſtata fuerit. Diſtat Buda, quinque in meridiem milliaribus. Vltra eam, *Raſcianorum vrbecula* viſitur, Germanis Raitzen-Stadt dicta; quae, quanta quanta eſt, Raſcianorum mercatoribus floret. Tercentenis abhinc paſſibus arx abeſt, eiuſdem cum Strigonio nominis, in Grani

ripa,



ripa infra vrbem, valida, & poſitu & communitione. Hodie intereunt pleraque, & vrbis, & arcis, ornamenta. Hic Archi-Epiſcopus Strigonienſis, qui hodie Comes NICOLAUS CSAKY eſt, domum habet, ſedi Archi-Epiſcopali inſtructam. Hic, & venerabile Capitulum Strigonienſe, olim reſidebat.

6. Oppida pauca ſunt, eaque horum nominum:

1. *S. Thomae*, quod V. Capitulum Strigonienſe adtinet, mediocre oppidum, monti, non longe a Strigonio recedenti, impoſitum. Coloni, & Hungari ſunt, & Slaui, Germanis mixti, qui ad ſacra Strigonium abeunt.

2. *Aquaticum*, quod Hungaris *Belsö Varos*, Germanis Waſſer-Stadt, dicitur, infra arcem reſedit, muris incinctum; qui tamen in rudus abiere. Barbari id, cum arcem Strigonienſem expugnaſſent, occuparunt. A quo iam tempore, in dies magis interit.

3. *D. Georgii*, aeque Strigonio adpoſitum, parte meridionali. Coloni vino imprimis proficiunt, quod ejusdem, cum Strigonienſi illo, valoris eſt, Sunt vero Hungari non ſolum, ſed Germani etiam ac Slaui, qui habitant oppidum.

4. *Párkány*, e regione S. Georgii, in Danubii margine viſitur. *Kakad*, olim appellabatur oppidum; quod tamen nomen, poſt ſedatos Rakoczianorum tumultus, ceſſauerat. Munitum olim egregie fuit, multis belli iniquitatibus vexatum; quod tamen omne iam eſt dirutum.

7. Supremus Comes Archiepiſcopus Strigonienſis eſt, qui etiam Sacri Romani Imperii Princeps ſalutatur. Hodie, ornat hanc dignitatem, NICOLAUS e Comitibus CSÁKY de Kereſztſzeg, Archiepiſcopus & Primas Regni, qui Poſonii ſedem habet perpetuam.

### §. VIII.

COMITATUS ALBA REGALENSIS, Hungaris *Székes Fejér Vármegye*, Germanis die Stuhlweiſſen-

 bur-

burger Geſpanſchaft, nomen ab vrbe Alba Regali ſortitus.

1. Iungitur is, ab *oriente*, partim Comitatui Piliſienſi, partim Tolnenſi prouinciae, quae perpetua camporum ſerie, *meridionalem* quoque plagam definit. Sed, ab *occaſu*, regio ei obtenditur Veſprimienſis, ſitu, hinc & illinc, collibus aſperſo. *Septemtrionem* denique Comaromienſis partim claudit, partim Strigonienſis. Alioquin, poſitus regionis, maximam partem planus eſt, atque campeſtris, idemque, crebris paludibus & lacunis, reſudans.

2. *Hungari* habitant, ſed admiſſis paſſim *Germanis* quoque, qui, poſt bella cum Turcis geſta, vel iſtic remanſerunt, rude donati, vel aliunde immigrarunt. Paſſim, & *Slaui* occurrunt, pro more ſuo, nouis ſubinde coloniis, aduentantes.

3. Foecunda regio eſt, *rei pecuariae* non minus, quam *fructifero agrorum* cultui, commodiſſima. *Vinum*, quod fundunt colles vite obſiti, vilius eſt. Ceterum aſperatur a ſeptemtrione *montibus*, quorum duo hi maxime notari merentur.

   1. *Vértes*, omnium Hungariae montium merito celebratiſſimus. Longe enim is lateque, per varios Comitatuum fines, porrigitur. Budae etiam, vltimatim, quaſi regiam honoraturus, accedit. Totum eum querceta conueſtiunt, porcorum paſtui idonea, quorum greges innumeros alunt incolae.

   2. *Bakony*, eo tractu, ſtringit regionem, qua verſus Comitatum Veſprimienſem properat.

4. Hic quoque in duos PROCESSUS diſpertitus eſt, a quibus nomina, ſitus impertiuere.

   (a) *Vértesallejenſis*, monti Vértes ſubſitus, montano ſitu, in campeſtrem deſinit, occupatque oram regionis occidentalem.

   (b) *Sarréténſis*, conſedit vtraque ripa riui Sárviz, eſtque campeſtris totus, & multa impeditus vligine, abitque in meridiem & orientem.





5. Vrbs regioni vna admodum eſt, *Alba Regalis*, Hungaris *Székes Fejér Vár*, Germanis Stuhlweiſſenburg. Munimentum olim nobile fuit, humili planitie poſitum, paludibus, quae aerem & aquas reddunt inſalubres, circumdatum; cujus tamen munitiones, anno 1702. demolitae ſunt. Vrbs, nihilominus, ipſa & ciuibus augetur in dies, & aedibus. Alioqui mirandum ſane eſt, quomodo tanta loci inſalubritate cognita, S. STEPHANUS, in eandem inciderit: vt, coronationibus cum ſollemnitate peragendis, Regumque ſepulcris, ornari voluerit. Sed vero, ne minima quidem amplius, monumentorum regalium veſtigia, ſuperſunt.

6. Arce aeque vna maxime celebratur prouincia, quam Hungari *Cſokakö* dicunt. Rotundo illa montis cliuo inſedit, eſtque obſoleto erecta opere. Nunc iam ternis Turcarum tumultibus inquietata, inermis iacet adeo; vt ruinis foeda, ſolitudo reuera dici queat. Diſſidet Alba duobus, in aquilonem, ſtadiis.

7. Oppida nulla, quod ſcimus, regionem inſedere; vici contra quam plurimi. In his praecipuus *Cſikvár* eſt, ad amnem Sárviz, in ſeptemtrionali parte poſitus. Munitus olim, ad defenſandum amnis traiectum, fuit; antiquis tamen Turcarum bellis, penitus euaſtatus. Vno milliari, in ſolem meridianum, recedit.

8. Supremi Comitis honore perpetuo, Comes FRANCISCUS de NÁDASD, ornatus eſt.

## §. IX.

COMITATUS TOLNENSIS, Hungaris *Tólna Vármegye*, Germanis die Tholner Geſpanſchaft, a Tólna exili oppido, ſic nuncupatur.

1. Et is quidem amoeno poſito reſedit. Mox enim colliculis, mox laetis nemoribus, in planitiem diffunditur, manantibus hinc illincue riuulis, qui regionem vbertim irrigant. Qua in *orientem* proſpicit, Danubii alueo; qua in *occidentem*, Veſprimienſi, Albenſi, nec non Sümeghienſi Comitatu,

definitur. Quod in *meridiem* reiectum eſt, Baranyenſium finibus cohibetur.

2. Habitatores, *Hungari* ſunt, *Raſciani* & *Slaui*, multi etiam annis ſuperioribus *Germani*, ex Palatinatu, Sueuia & Franconia, immigrauere, ruſticationi ſtudioſiſſime vniuerſim operantes.

3. Alioquin, ſolum *frumenti* ferax eſt, licet aliquibus in locis ſterili gaudeat arena. *Vinum* profecto nobiliſſimum gignit. Exaſperatur vero aliquantum *montibus* a meridie regio, vt ſunt: *Simontornyenſis*, *Borjáthegye*, *Kölesdienſis* & *Szekſzardienſis*. Singuli horum, quod vite conſiti plerique ſint, & ornant prouinciam, & reddunt percommodam.

4. Tres continet PROCESSUS; quorum haec eſt denominatio:

(a) *Superior*, ſeu *Földvárienſis*, eam regiunculae partem includit, quae, inter Sárviz atque Danubium, intereſt; planus partem, partem glabris collibus, tuberoſus.

(b) *Medius*, ſeu *Simontornenſis*, circumfunditur oppido Simontornya, tenetque mediam Comitatus partem, &, cum montano ſitu inſignem, tum irriguum quoque riuis compluribus.

(c) *Infimus*, ſeu *Völtségeenſis*, ea regione deſcribitur, quae eſt *Kapos* & *Sárviz* amnibus incluſa.

5. Arces pauciores hac regione videas, praeter nobiliores haſce duas:

(a) *Dombovár*, editiori loco haec conſedit, eſtque in Sümegienſium finibus. Nunc, quod non eſt, qui reſtauraret molem, ſuis ſe ruderibus ſepelit. Oppidum adiacens, frequens ecquidem, at exiguum tamen eſt.

(b) *Simontornya*, arx olim munita, ad confluentem, *Sárviz*, *Sijo*, & *Kapos*, amnium, excitata. Infra arcem oppidum eſt, cui Comitatus domum, celebrandarum Congregationum gratia, inaedificauit.

6. Op-



6. Oppida regionis, praeter duo illa, arcibus adpoſita, haec fere dixerim:

(a) *Tolna*, ob loci opportunitatem, laudis eximiae eſt, Attilae, in primis, de Romanis victoria inſigniter nobilitatum. Danubii ripam occupat, ſiluis paſſim caeduis obuium, agrisque fertilibus inſigne. LUDOUICUS Rex, amoenitate oppidi delectatus, Comitia huc, anno 1518. indixit. Nunc Comites a WALLIS poſſident.

(b) *Paks*, itidem ripae Danubii, duobus ſupra Tolnam milliaribus, adpoſitum, multarum opportunitatum eſt oppidum; quippe, & frugum ferax & vini. Adnumeratur haerediis FRANCISCI DARÓCZY, Inclyti Comitatus Tolnenſis quondam Vice Comitis.

(c) *Földvár*, duobus a Paks milliaribus, in margine Danubii recedit; quamuis copioſius multo priori. Antaceorum in primis captura notum. Paret Abbati S. Helenae de Földvár.

(d) *Székſzárd*, Saruiſio flumine, propius accedit non infrequens oppidum. Collino id partim, partim plano ſitu eſt. Incolae Hungari, magnum vino, quod celeberrimum eſt, rubellum item, peculiari quodam colendae vitis modo, educatum, quaeſtum faciunt.

(e) *Báta*, & (f) *Bátaſzeg* viliora ſunt, illud quidem ad Saruizium; ad Baranyenſium limites iſtud, vltra Danubium, adpoſitum.

(g) *Ozora*, (h) *Tamaſi*, & (i) *Pinczehely* tenuioris aeque ſortis. Prius opportuno loco, ad Sijo riuuli marginem; alterum ad ramum Kapos, ambo Eſzterhazianae ditionis, adſederunt; vltimum, ad eiusdem ripam, mediocre, occupat.

7. Comes ſupremus, isque perpetuus, eſt, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis. Utramque dignitatem, GEORGIUS KLIMO, hodie tenet.

 §. X.

§. X.

COMITATUS SIMEGHIENSIS, Hungaris *Somogy Vármegye*, Germanis die Schimeger Geſpanſchaft, a vetere illo Simigio, Hungaris Somogy-vár, ſic nuncupatus.

1. Poſitio Comitatui eo eſt iucundior, quo frequentiora nemora, ſiluae & campi editi, conſpiciuntur. Circumſedetur autem, a *ſeptentrione* lacu Balatone; a *meridie* Drauo; prouincia Szaladienſi ab *occidente*; ab *ortu* denique, Veſprimienſi, Tolnenſi, nec non Baranienſi, Comitatibus.

2. *Hungari* potiſſimum coloni ſunt, quibus tamen *Croatae* etiam, & *Slaui*, acceſſere. *Germani*, profecto, poſt pulſos admodum Turcas, huc deducti ſunt.

3. Coeli *temperies,* tota regione, ob fluuiorum limoſas reliquias, quae prouinciam copioſae inſederunt, *inſalubris* eſt; neque facile, niſi adſuetos tolerat, excepta illa Balatonis regione, vbi ſalubrior aura eſſe incipit. Solum, & *frumenti*, & *vini*, & *fructuum* reliquorum, ferax eſt. Res pecuaria adeo proficit; vt colonis maximum quaeſtum, vnde vitam trahant, conficiat.

4. Trifariam & hunc diuiſere metatores. Sunt namque PROCESSUS III.

(a) *Caponenſis,* partem Comitatus maximam, decem fere milliarium longitudine, complexus. Procurrit autem, pone *Balatonem*, ab *Ormandenſibus*, lacunis, ad limitaneum amnem *Sivo,* demergiturque in mediterranea, verſus Szigethum.

(b) *Szigethenſis*, laxus & hic eſt, omnemque eam regionem occupat, quae a finibus Tolnenſis & Baranyenſis Comitatus, intra *Kapoſum* & *Drauum* amnes, in ſolem occiduum protenditur. Montoſo eſt habitu, nomenque habet, a Szigetho communicatum.

(c) *Caniſenſis*, ex vicinia Caniſae, quae eſt apud Szaladienſes, vel rectius ab amne Caniſa, qui hac decurrit, id nominis trahens. Inſedit occidentalem Comitatus oram a *Rinnia* lacuſtri amne, pone Drauum, vſque ad Caniſam procurrens. Siluoſus & hic, aquoſusque.



5. Arcibus valebat olim Comitatus; quae tamen, oppida nunc ſunt, pleraeque. Supereſt:

(a) *Kaposvár*, ad Kapoſum amnem inclutuae Derseffiorum genti adſcripta, ſedet. Iam oppido quam arci ſimilior eſt.

(b) *Babotſa*, Hungarici & nominis eſt & operis. Inſigne olim munimentum; quod tamen demolitum iam accepimus. Adnumeratur poſſeſſioni Comitis a Rindsmaul.

6. Tenet propugnaculum etiam Comitatus nobiliſſimum *Szigeth*, vel, vt malunt alii, *Szigethinum,* Germanis Grentz-Sigeth. Almaſo flumini adpoſitum eſt, paludoſa vndiquaque planitie. Hic ille, Ducis fortiſſimi, NICOLAI ZRINII, & SOLYMANI Turcarum Imperatoris, tumulus eſt. Conſtat propugnaculis quatuor, lunari forma, definitis. Crebriores ea obſidiones pertulit; multum ergo, vt coniici facile poteſt, a flore priſtino, remiſit.

7. Oppida haec ſunt memorabiliora:

(a) *Simigium*, tenue eſt, & ſi nomen, quod vniuerſae regioni impertiuit, demſeris, prorſus incelebre.

(b) *Koppanum*, Hungaris *Koppan*, cum a Turcis inſideretur, aggere valliſque munitum, hodie nihil amplius, quam tenuia aggerum rudera, ſuperat.

8. Ambulatoriam ſupremi Comitis dignitatem, ſumma cum laude tenet, Comes CAROLUS de BATTHYAN, perpetuus in Németh Ujvár, Banus Croatiae.

§. XI.

COMITATUS BARANYENSIS, Hungaris *Baranya Vármegye*, Germanis die Baranjer Geſpanſchaft, cui oppidum deſolatum iam, cognomen communicauit.



1. Clau-

1. Clauditur a *ſeptentrione* & *oriente*, Danubio; Slauonia a *meridie*; ab *occidente* Simeghienſi prouincia. Poſitus collinus hic, planiſſimus alibi, contigit.

2. Colonos maximam partem *Illyrios* accepit, intermixtis, hic & illic, *Hungaris* quoque; quorum illi, plurimum mercatibus quaeſtum faciunt. Acceſſit hic, non ita pridem, *Germanorum* quaedam colonia.

3. Fertilitate, nulli Regni prouinciae, ſecundus eſt Comitatus hic; quippe, & *frugum* feraciſſimus, & *vini*, ſi conſtantia aeſtimaueris, vix poſtremi. *Siluarum* ſatis habet, vbi pecora multa ſuſtentant incolae. *Ferae* equidem rariores haud ſunt; ſed, quod cuilibet permiſſa venatio eſt, non vbique obuiae.

4. Duobus PROCESSIBUS definitur:

(a) *Quinqueeccleſienſi*, qui vrbem eam circumſedit, laxo ſatis, & montano partim, partim depreſſo glabroque ambitu.

(b) *Sikloſienſi*, cui arx Siklos, de qua inferius, nomen dedit. Diffunditur eo Comitatus tractu, qui, in Tolnenſium limitibus, ſecundo Danubio, vſque ad confluentem Drauum, decurrit.

5. Duabus inſidetur vrbibus. Sunt vero illae:

(a) *Quinqueeccleſiae*, Hungaris *Péts*, Germanis **Fünfkirchen**, vrbs, propterea ſic adpellatur, quod totidem ei olim Eccleſiae inerant. Vrbs ipſa & opulenta eſt, & ſitus iucundiſſimi, ſedem etiam praebens Epiſcopo haud inamoenam. Duris ei, ſub Turcarum imperio, luctandum fuit initiis, adeo; vt, tota quaſi deſtructa, ad noſtros rediret. Nunc tamen, reſtaurata eſt de nouo. Hungari olim, vt vrbis copiam ſeu frequentiam indigitarent, hoc vtebantur prouerbio. *Németnek Béts, Magyarnak Péts*, i. e. *Germanus Viennam*, Béts enim Viennam Hungaris ſignificat, *Hungarus Quinquaeeccleſias habet.* Vnde, de priſtina eius celebritate & flore, poſſis colligere.

(b) *Péts-*



(b) *Péts-Váradya* diues Praepoſitura, quamuis vrbe priori, & minor & incultior.

6. *Arx Siklos*, ſi quae ſunt aliae, potiſſimum memoranda venit. Munita ſatis eſt, captiuitate Caeſaris & Regis SIGISMUNDI ab Hungaris facta, inſignis. Praerupto monti impoſita, multum iam, a decore priſtino, remiſit.

7. Oppida ſunt nobiliora:

(a) *Dárda*, frequens oppidum incolis Hungaris, pecuariae rei, maximam partem, intentis.

(b) *Mohács*, non longe a Danubii ripa abeſt, locus vbi anno 1526. LUDOUICUS II. Rex Hungariae, a Turcis interemtus fuit, vel, vt malunt alii, luto immerſus periit. Nobilitauit locum aeque victoria a Turcis, anno 1687. hic loci reportata.

8. Supremi Comitis dignitas, iure perpetuo, Infulae Quinqueeccleſienſi conceſſa eſt. Gaudet ea, hodie, GEORGIUS KLIMO, Epiſcopus.

Haec de Hungaria Trans Danubiana.

## MEMBRUM III.
## DE
## HUNGARIA CIS TIBISCANA.

HUius nomine eam regionem comprehendimus, quae, inde a Carpatho, maxime ſeptentrionali, cis Tibiſcum, ad acceſſum eius, vſque in Danubium late patet. Adnumerantur ei COMITATUS ſequentes.

### §. I.

COMITATUS SCEPUSIENSIS, Hungaris *Szepes Vármegye*, Germanis **die Zipſer Geſpanſchaft**, ab arce cognomine denominationem mutuauit.

1. Amplus eſt Comitatus, totuſque fere montanus. Terminatur ad *orientem*, Sároſienſi, & quadantenus Abaujuarienſi; Liptouienſi ad *occidentem*; ad *meridiem* denique, Gömörienſi Comitatibus. Ea pars, quae in *ſeptentrionem* recedit, Regni Poloniae limitanea eſt.

 2. In-

2. Incolunt regionem *Germani*, *Slaui*, *Hungari*, quin & *Rutheni*, laborum plerique patientiſſimi. Neque facile, horum quenquam, ignauiae ſe dediſſe, conſpicias.

3. *Montes* altiſſimi Comitatum occupant, quaſi integrum. Praecipuorum haec ſunt nomina: *Carpathus*, qui iugis hic altiſſimis adtollitur. 2. *Bubulus.* Germanis der Ochſenberg, Slauis Wolowecz. 3. *Regius*, Slauis Králowa Hola, Germanis Königsberg. *Siluae* etiam vaſtiſſimae, *fluuiique* frequentiores, prouinciae ſuppetunt. *Saluber* adhaec & *aer* ei eſt, & ſolum *ſegetum* nobiliſſimarum, hordei in primis, feraciſſimum. *Bacho* certe *inimica* regio eſt; ſiue, quod montium iuga, vini impediant cultum; ſiue, quod ſegeti, magis, quam viti, operentur incolae. Id memoratu digniſſimum eſt, hanc prae reliquis prouinciam, multa habere, & *curioſa naturae*, & peculiaria. Vid. Prodrom. M. Belii.

4. In tres PROCESSUS diſtincta eſt regio. Sunt autem:

(a) *Proceſſus Primus*, qui late in ſeptentriones, ad montem Carpathum, protenditur; vbi, Poloniae demum confiniis, proximus accedit.

(b) *Proceſſus Secundus*, ad Gömörienſium vſque fines procurrit, frequentibus coloniis inhabitatus.

(c) *Proceſſus Tertius*, & hic amplus ſatis eſt, Sároſienſi & Abaujuarienſi Comitatibus, limitaneus.

5. Liberas Regiaſque ciuitates duas habet Scepuſium. In his:

(a) *Leutſchouiam*, Hungaris *Lötſe*, Germanis Leutſchau, Slauis Lewotſa, a ſpecula, ibidem, vbi iam vrbs reſedit, inde a clade Tartarica, anno 1241. reſidua, Leutſchau, i. e. hominum ſpectatio & obſeruatio, vnde fugientes hoſtem praetereuntem viderent, adpellata. Poſitum natura accepit amoenum. Colli enim, validis praeſtructa moenibus, inſedit. In praecipuis eiuſdem ornamentis, S. Jacobi

cobi



cobi Baſilica, foro impoſita, ponitur. Suburbiis tamen caret, & neceſſaria, tam copioſae vrbi, aquarum copia. Vid. Prodrom. in illuſtrat. vrbis Leutſchouienſ. pag. 86. §. 1.

(b) *Kesmarkinum*, Hungaris *Késmark*, Germanis Käsmarck, Slauis Kesmarek, nonnullis Germanis Kayſersmarck, duobus Leutſchouia milliaribus recedit. Ex tribus vicis coaluiſſe vrbem, certum eſt. Iucundus ei, ceteroquin, adſpectus contigit. Nam, & complures ad eam fluuii, *Poprad*, nempe, *Laipitz* & *Albula*, accedunt; & Carpathi montis iuga niuibus obtecta perpetuo, ei aduoluuntur. Curiam elegantem habet, illuſtri turri ſuperſtructam. Moenia certe, ei vetuſti ſunt operis, & indiga reſtaurationis. Ciues vtrarumque vrbium Germani ſunt, nonnulli Slaui etiam.

6. Arcibus inſidetur pluribus, quae, haec ſortita ſunt nomina:

(a) *Arx Scepuſienſis*, Hungaris *Szepes Vár*, Germanis Zipſer Haus, Slauis Spiſky Zamek, altam rupem occupat, difficilis hinc, illinc facilioris, aditus. Non longe ab hinc Capitulum abeſt, quod aeque monti impoſitum, moeniiſque, cum domibus aliquot, incinctum eſt.

(b) *Kesmarkienſis*, accliuem inſedit collem, quam cum poſſideret Tökelius, munitam ſatis ornatamque tuebatur. Duplici muro circumdata eſt, quinque turriculis eductis. Nunc, poſteaquam emtionis iure, ad Kesmarkenſes rediiſſet, vmbram modo, praeteriti decoris refert.

(c) *Dunavetz*, a praeterlabente fluuio *Dunavetz*, id nominis accepit. Praecipitio inaedificauere primi conditores, adeo quidem; vt nonniſi difficillime adiri queat. Iam properat ad ruinam.

(d) *Lublyó*, & (e) *Podolinum*, tenuiores ambo, iucundo tamen ſitu. Illam Popradus, hanc Albula adluit.

7. Ca-

7. Caſtella plura meminimus. Nobiliora haec ſunt:

(a) *Batisfaluenſe*, terminis Liptouienſium propius adiacens, eſtque ditionis Mariaſianae.

(b) *Nebrenſe*, ſiue *Straskaienſe*, infra Kesmarkinum, iam Horuatii Stanſithii de Gradetz obtinent.

(c) *Toportzenſi*, iucunda planitie, Gergeyorum habitatio, adſedit.

(d) *Landokenſe*, ſub Carphati radicibus, Luſinzkiorum ſedes obtinet.

(e) *Fridmanenſe*, Comitum Barkotziorum poſſeſſio, ob defluentem; iuxta, amniculum, iucunda.

8. Iam & oppida recenſeamus, quorum tamen, quia innumera ſunt, praeter XIII. illa, nulla commemorabimus. Et illa vero ſunt:

(a) *Bela*, Hungaris & Slauis, adaeque Bela.

(b) *Laibitz*, Hungaris *Lebitz*, Slauis Lubitza.

(c) *Menhardi villa*, Germanis Menhardsdorf, Slauis Werbowo.

(d) *Popradum*, Germanis Deutſchendorf, Slauis Poprad.

(e) *Michaelis villa*, Germanis Michelsdorf, Slauis Straſa.

(f) *Iglouia*, aliquibus *Neocomium*, Germanis Newdorf, Slauis Nowa Weſz.

(g) *Ruskonſiz*, Germanis Risdorf, Slauis Ruſzkinowtze.

(h) *Olaſzium*, ſiue *Villa Italica*, Germanis Wallendorf, Slauis Wlaſzky.

(i) *Fůlka*, Germanis Fůlck, Slauis Welká.

(k) *Várallium*, Hungaris *Szepes Várallya*, Slauis Podhrad, Germanis Kirchdorf.

(l) *Matthaei villa*, ſeu *Matthaeocz*, Germanis Matzdorf, Slauis Matejowcze.

(m) *Mons S. Georgii*, Germanis Georgenberg, Hungaris *Szombathely*, Slauis Spiska-Szobota.

(n) *Durandi villa*, Germanis Durlsdorf, Slauis Twarozna.

9. Sed,



9. Sed, nec fontes acidi, thermaeque deſunt. Illi enim frequentiores paſſim ſcatent; hae, ad *Laibitzinum*, ſalutares admodum ſunt; vt merito iniuriam eis inferant, qui ſulphureas dicunt.

10. Perpetuus & ſupremus Comes terrae Scepuſienſis eſt, NICOLAUS e Comitibus CSÁKY de Kereſztſeg, Archiepiſcopus Strigonienſis & Primas Regni.

§. II.

COMITATUS SAROSIENSIS, Hungaris *Sáros Vármegye*, Germanis die Saroſcher Geſpanſchaft, ab arce deſerta Sáros ſic denominatus eſt.

1. Ad Scepuſienſium fines procurrit, in *occidentem*, *ſeptentrionali* latere, altiſſimo Carpatho, a Polonia diremtus. Quae, in *orientem* abeunt, Zemplinienſem prouinciam; Abaujuarienſem, quae in *meridiem*, adtingunt. In aſperioribus Hungariae prouinciis, Comitatus habetur; quippe meris Carpathi iugis horreſcens.

2. Vrbes, *Germani*; oppida & vicos, *Slaui* incolunt, & *Ruſſi*. Qui poſteriores, ritus graeci, reduniti tamen Romano Catholicis, praedationibus nimium quantum dediti ſunt.

3. Qua montoſa regio eſt, *auena* proficit, planitie vndiquaque foecundiſſima. Id, in prouinciae damnis habendum: quod, ob immenſam Carpati aſperitatem, *vino* carere debeat; *frugibus*, alioquin, *fructibusque* ſic ſatis abundans.

4. Numerat PROCESSUS quatuor. Separatur ab his *Dominium Macskouitzenſe*. Sunt autem:

(a) *Sároſienſis*, *ſeu Occidentalis*, id nominis ab arce Sáros ſortitus, totus montibus obnoxius eſt.

(b) *Superior*, *ſeu Septentrionalis*, altius in aquilonem, vſque ad Poloniae limites, ſubductus eſt, nomen indeptus ab ea plaga, in quam ſuberigitur, aſper & hic montibus.

(c) *Inferior*, *ſeu Meridionalis*, partem Comitatus meridionalem tenet, eamque Abaujuarienſi confinem.

(d) Orien-

(d) *Orientalis*, *ſeu Tapolyenſis*, occupat oram prouinciae Zempliniensi contiguam. Fit, non raro, vt hi Proceſſus, tantum a Iudicibus Nobilium, quibus ſunt, denominentur.

5. Tribus excellit liberis regiiſque ciuitatibus. Vt ſunt:

(a) *Eperieſinum*, Hungaris *Eperies*, Germanis Eperies, elegans olim, frequens; quia celebre etiam emporium. Cui, vt multas alias praeteream praerogatiuas, ius ſtapulae, quod nos ius depoſitionis dicere conſueuimus, conceſſum fuit. Munitum etiam ſic ſatis firmiter. Quod tamen, quia ſaepius iam obſidione cinctum erat: multis, hinc inde, ruinis, quae tamen iam reparatae ſunt, conſpicuum fuit. Quae, hodie, in maximis vrbis commodis ponuntur, nundinae ſunt, copioſae non minus quam illuſtres. Non longe hinc, ad Sovarum, ſalis fodina eſt; vbi ſal, ob terrearum particularum copiam, in aquis liquefaciunt, atque demum, vt ſolent, excoquunt.

(b) *Bartfa*, Germanis Bartfeld, Slauis Bardiow, quatuor mille paſſibus, Eperieſino recedit, in ſeptentriones rigidos. Vrbs culta, montibus quaſi Carpathicis inſita eſt. Ciues, vino, in confinem ſibi Poloniam, mercatum exercent. Adfluit vrbs accidulis quoque, non copioſis modo, ſed guſtus etiam optimi.

(c) *Cibinium minus*, Hungaris *Szebeny*, Slauis Szabinow, Germanis Zeben, a Sabina Belae Regis filia, nomen accepit. Vrbecula exigui ambitus; at, poſitus, in campis, iucundiſſimi. Inquilini, ſublimato vino, maximam partem quaeſtum habent.

6. Arces hac regione inſigniores ſunt:

(a) *Makó* illuſtre Dominium.

(b) *Kapy*, & (c) *Palocz*, in rudus iam abiere. Inhabitatur a Barone Georgio Paloczay.

7. Op-



7. Oppida, hinc inde, quam plurima obueniunt; potiore tamen parte, tenuia. Praecipuum in iis, *Sibenlinden* eſt, amplum oppidum, iucundiſſimi, prae caeteris omnibus, poſitus.

8. Principibus RÁKOTZIIS, olim, haereditaria fuit ſupremorum Comitum dignitas, quae nunc, C. SZIRMAY eſt, ambulatoria. E quibus hodie, Comes THOMAS SZIRMAY de Cſernek, Comitatui praeeſt.

## §. III.

COMITATUS ZEMPLINIENSIS, Hungaris *Zemplin Vármegye*, Germanis die Sempliner Geſpanſchaft, Slauis Zemplinſka Stolicza, ab arce vetere id nominis trahit. Ceterum,

1. Spacioſa prouincia eſt; ſolum autem longe diuerſiſſimum. Quod enim in Carpatho, vſque ad Poloniae confinia, porrigitur, aſperum eſt, & pene infoecundum. Vbi autem Tibiſco accedit regio, atque in meridiem, perpetuo fluuii margine, fertur, Paradiſo comparanda. Adeo, & iucunda eſt, & fructifera, montibus conſpicua quamplurimis. Quorum, & pro locorum vicinia, & pro ſitu ſuo, varia ſunt cognomina. Ab *oriente* ergo Vnghenſi; Szaboltſenſi, a *meridie*; ab *occidente* Abaujuarienſi Comitatui, adfinis eſt. Pars, quae in *ſeptentrionem* vergit, montes Carpathicos obtenſos habet.

2. Incolae, vaſta hac prouincia, ſunt diuerſiſſimi. *Hungari Germanique*, qui, olim, frequentiores regionem inhabitabant, in annos deficiunt. *Slaui*, contra, omnium ſunt copioſiſſimi: quod in dies, eo, plures Oraui, Vandali, Ruſſi, Polonique, demigrant.

3. Ferax, parte altera, Comitatus, *frumenti* eſt, & *vini* nobiliſſimi; altera, ob argilloſam, ſabuloſamque materiam, ſterilis. *Pecorum* vim maximam incolae ſuſtentant. Qui tamen, pecuariae rei, induſtriam cum impendunt: negligunt agros, tantae felicitatis. *Ferarum* ſummum defectum patitur regio: *piſci-*

ſci-

*ſcium* contra, tantam, apud Bodrogium amnem, copiam habet; vt, & porcis ſaginandis adhibeantur.

4. In PROCESSUS IV. diuiſus eſt Comitatus. Horum primus,

(a) *Proceſſus Superior, Hungaris Hegyallya*, omne id continet, quod, montibus Tolinyenſibus ſubiectum, & in campeſtrem, verſus Tibiſcum Hernadumque amnes, protenditur; quodque, Sajonis atque Tibiſci confluente, terminatur.

(b) *Interamnenſis, Hungaris Bodrogh-Köz*, eam recipit regionem, quae, intra Bodroghum & Tibiſcum, in orientem excedit.

(c) *Vhelyienſis*, ab amne Bodrogh, in ſeptemtriones abit, & finibus tandem Poloniae terminatur. Quia vero variis interſtinguitur collibus, in quinque Diſtrictus diſpeſcitur; & quidem, in

(a) *Vhelyienſem*, qui ea, quae in finibus Abaujuarienſium, valle quadam, montibus vtrinque intercluditur.

(b) *Zemplinienſem*, ab oppido is Zemplin, vſque ad oppidum aliud Galſzetz, aperta & plana regione, pergit.

(c) *Galſzetzienſem*, qui ea reſedit regione, vbi Galſzetz oppidum occupat, perpetuaque, ad vicum Hermany, planitie adparet.

(d) *Váranouienſis*, qui, ad Váranouienſe oppidum, capit exordia, & finibus Saroſienſium, varios colles & ſilueſtres campos amplexus, terminatur.

(e) *Stropkouienſis*, eam ditionem complectitur, quae, in finibus prouinciae Sároſienſis, Regnique Poloniae, in ſeptentrionem excurrit.

(d) *Nagy Mihályienſem*, qui confluente Labortzae exorſus, ad fines Poloniae, proximus accedit. In tres, item, Diſtrictus, diuiſum accepimus. In his ſunt;

1. Nagy



1. *Nagy Mihalyienſis*, qui, in oppido Nagy Mihály capit initia, atque demum Vásárhelyini deſinit.

2. *Horienſis*, a tenui vico Hor, ad ditionem vsque Stropkouienſem, abit, collina partim, partim campeſtri, poſitione.

3. *Homonnaienſis*. Conſtat is, eo tractu, qui intra Stropkouienſem ditionem, & Comitatum Unghvár, vsque ad Poloniae fines, mox latior, mox anguſtior, porrigitur.

5. Arces, quae frequentes olim, hac prouincia viſebantur, a Zapolya, ſub FERDINANDO I. & MAXIMILIANO II. dirutae ſunt plurimam partem. Superſunt:

(a) *Conuentus Leleſz*, archiui Comitatenſis conditorium, quod denuo inſtaurari debuerat, ruinae iam proximum.

(b) *Homonna*, natalibus, antiquae & diuitis gentis Comitum Drugeth de Homonna, inſignis, quae, ſeculo praeterito, emortua eſt.

(c) *Stropko*, Comitis Petheo de Gerſe commoda ſatis habitatio.

6. Ad oppida quod adtinet, & multa ea ſunt, & nobilia. In his:

(a) *Sáros Patak*, libera olim regiaque ciuitas, SIGISMUNDI temporibus, eo exuta charactere. Bodrogi ripae, tribus, ſupra Tokainum, milliaribus adſitum, collem habet vite conſitum, prouentus, & copioſi, & nobiliſſimi.

(b) *Tolsua*, in amoena valle, riuulo id interfluente, reſedit. Ex vtraque parte, colles viniferi adtolluntur, quorum fructus, nulli generoſiſſimorum, cedit quidquam.

(c) *Tallya*, oppidum eſt elegans. Locum occupat erectum, leniter accliuem, & qui ſenſim in orientem adſcendit, deſinitque in amoenos campos. Colles generoſum vinum ferunt, &, ad primam claſſem, gloriae ſubmontanae, emergunt.

(d) *Máda* oppidum ſubmontanae ditionis haud

F poſtre-

poſtremum. Valli enim iucundae impoſitum eſt, vineis circumſeptum, & frequentibus, & fructus optimi.

(e) *Tarczal*, radices montis Tokayenſis tenet, vino Tokaienſi ſaepius nobiliores.

(f) *Tokaynum*, in confluente Bodroghi & Tibiſci amnium. Arcem habet munitam, aqua circumcirca praeterlabente, tumultuante Rakoczio deiectam. Hic, ille locus eſt, qui nobiliſſimo Tokaienſi vino nomen impertiuit; licet pauciſſima Tokaienſis fructus, producant colles hi, oppido Tokayenſi adpoſiti. Mons Mézes Málé, i. e. Honigſeim, dictus, praecipuam prae reliquis laudem meretur: quippe quod, dulce adeo & pingue vinum, ſuppeditat, quod Cæſari exhibere conſueuerunt.

(g) Sunt & vici nobilitate vini inſignes, innumeri fere; quos tamen copia & inſtituti ratio percenſere prohibet. Adeo vero multi ſunt, regione hac, vini nobiliſſimi prouentus; vt, ſeptem milliarium tractu, nihil, quam praeſtantiſſimi fructus vineas, reperiamus.

7. Supremi Comitis honore ambulatorio, ANTONIUS L. B. KLOBUSICZKY de Zettény, ornatus eſt.

### §. IV.

COMITATUS UNGHENSIS, VNGHVÁRIENSIS, vel etiam *de Vngh*, Hungaris *Vngh-Vármegye*, Germanis die Ungher Geſpanſchaft. Nomen ei, arx Ungvár, intercidens iam, communicauit.

1. Priori illi, ab *occidente*, Poloniae regno a *ſeptentrione*, adfinis eſt. Init vero, in Poloniae limitibus, vltra Ungh amnem protenſus, qui *meridionalem* Comitatus marginem praeterlabitur. Ad *orientem* Comitatus Bereghienſis propinguus ei eſt. Frequentes eum riuuli montani irrigant, vt ſunt:

(a) *Vngh*, qui poſteaquam e Carpatho ſeptentrionali, egreſſus, multos alios recipit amniculos, arcem & oppidum Vnghvár circumfluit.

(b) *Laborcza*, &





(c) *Latoricza*, aeque ex Carpatho oriundi, fluxus celerioris.

2. *Hungari* regionis inhabitatores ſunt, & *Rutheni*, priſcorum Sarmatarum reliquiae. Inſtabiles hi, deterrimam degunt vitam. Illi, certe, multo naturae viuunt conuenientius.

3. Mediam Comitatus partem, qua in aquilonem ſecedit, *Carpathus* occupat. Altera, meridionalis puta, Tibiſcum verſus, *planior* quidem eſt, at inundationibus frequentiſſimis, fluuiorum ante recenſitorum, obnoxia. *Auenae* amicum ſolum eſt, *tritico* contra & ſiligini, ob aeris iniuriam, inimiciſſimum. Laudantur tamen vina Vnghenſia, tam ob inſignem ſalubritatem, quam nobilitatem etiam. Ceterum, pecoribus valent incolae, agricolationi aeque ac pecuariae rei, dediti.

4. PROCESSUS ei ſunt IV. quorum haec ſunt nomina.

(a) *Vnghuarienſis*, tantum in ſeptentrionem, quod vltra arcem Vnghvár eſt, occupat, quantum vix reliqui tres. Horret Carpatho.

(b) *Sobrántzenſis*, tenet oram Comitatus occidentaliorem, perpetua montium ſerie, a Zemplinienſi diſcretam. Dedit ei nomen Szobrántz, copioſum olim oppidum.

(c) *Palocziensis*, a praecipuo vico, ſic dictus, inſedit regionem planam, ſed eluuionibus amnium extra modum incommodatam.

(d) *Capoſienſis*, ab oppido Nagy-Kappos nomen fert. Admenſa ei ora Comitatus facile amoeniſſima eſt, & hic, in occidentem, in orientem illic, proiecta.

5. Arces, quae frequentiores hac prouincia viſebantur, pleraeque interciderunt, eo potiſſimum tempore, cum inclutae Comitum familiae Drugeth de Homonna, & Rákoczy, ſuas inuicem iniurias vindicarent.

Praecipuae reſtant:

(a) *Vnghvár*, rupi non altae magis, quam proſpectus amoeni, impoſita, quam amniculus Vngh, circumquaque incingit. Nomen ea toti Comitatui impertiuit, atque eſt, omnino, mole gemina, interiore altera, altera exteriore. Elegantis ambae, veteris quidem illa, haec recentioris, eſt operis. Hucdum in propugnaculis habetur, quod frequentiores iam belli iniurias ſuſtulit, non vnam Rakoczianis ſtragem concilians.

(b) *Vinna*, ardui poſitus, difficilisque acceſſus eſt, ob praerupti montis, cui inſedit, anguſta latera. Prohibent ruinas hucdum arcis poſſeſſores, qui fornices hic & conditoria exſtruxerunt.

6. Oppida, his inſignita nominibus ſunt:

(a) *Vnghvár*, hilari obtutu, per cliuum montis, late in meridiem arci adpoſitum. Hinc demum, vaſtam planitiem illam, conſpicere licet, quae non poteſt non, oppido, & aeris ſalubritatem conciliare, & amoenitatem.

(b) *Szobrántz*, laxum antea & copioſum oppidum, ad montium radices, agro foecundo adſedit. Interluitur Hornya amne, qui peculiarem oppido obtutum conciliat. Iam neſcio, qua temporum ſorte accidit; vt in villam viliſſimam, plane abierit.

(c) *Nagy Kappos*, ſeu *Kapos* maius, populoſum antehac, & frequentibus nobilium ſedibus inclutum, oppidum, Regni etiam comitiolis frequentatum ſubinde. Hodie aeque, eadem ei, cum plerisque, ſors accidit: vt, a priſtino decore, multum remitteret, ita tamen; vt, nec incultum plane, nec colonis inane ſit.

7. Thermas habet nullas, fontem tamen ſalubrem, ad Szobrántz oppidum promanantem. Scatet is aqua nigricante, paullulum odore ſulphuroſo, guſtu ſubſalſo. Optimum colonis, qui in vicinia ſunt; quin Comitatui integro, pro cienda aluo, medicamentum. Et balneis, enim, & potui pecoribus, adhibent.





8. Supremum Comitem, NICOLAUS olim Comes BERCSÉNIUS agebat; qui tamen ea dignitate, ob perduellionem, excidit. Poſtea gubernium prouinciae, ad Regios pertinebat adminiſtratores. Nunc, Comes NICOLAUS SZTÁRAY de Nagy-Mihály, ambulatoriam, in ea, habet dignitatem.

## §. V.

COMITATUS ABAUIUARIENSIS, Hungaris *Aba-ujVármegye*, Germanis die Abauiwarer Geſpanſchaft, a caſtro Abauivár nomen duxit.

1. Cis Zemplinienſem Comitatum, occupat 12. fere milliaria; ſi *longitudinem* inieris, a ſeptentrione in meridiem procurrens. Quod ab occidente in orientem vergit, trium, quatuor alibi, imo & quinque, ſtadiorum *latitudinem* explet. Impingit, ab *aquilone*, in Comitatum Sároſienſem, & Scepuſienſem; ab *ortu*, & *occidente*, in Zemplinienſem & Borſodienſem; in Tornenſem & Gömörienſem, ab *occidente*.

2. Coloni prouinciae, qua expanditur planities, *Hungari* contigere. At, ambo oppida Metzenſeiff, *Germani* incolunt veteres. In montibus vero, *Slaui* partim, partim *Ruſſi*, quos Ruſnaken Germanico idiomate adpellamus.

3. Omnibus, haec regio, naturae beneficiis, abundantiſſime gaudet, *vino* maxime, in Zemplinenſis Comitatus finibus, quod Tokayenſi illi accedit proxime. Sunt & montes, hinc illincue, *argenti aurique* quomodocunque feraces. Rei *frumentariae pecuariaeque* prouentus, eo major eſt, quo amoeniore ſitu campi reſedere.

4. Diſcriminatur PROCESSIBUS IV. quorum haec eſt denominatio:

(a) *Caſſouienſis*, ab vrbe cognomine dicitur, cui, ad duo milliaria, ſitu partim montano, partim campeſtri, circumfunditur.

(b) *Füzerienſis*, traxit nomen ab arce Füzer, conti-

netque eam Comitatus portionem, quae Caſſouienſi prouinciolae, montano poſitu, intra meridiem & orientem, obiacet.

(c) *Cſerhatienſis*, tractus eſt a ſeptentrione in auſtrum procurrens, ſic dictus, a quercetis, quae collinam ex ſe regionem inſident.

(d) *Szikſzouienſis*, regiuncula eſt, reliquis a meridie obtenſa, Borſodienſibusque vicina, eaque, totius Comitatus, facile optima. Habet nomen a Szikſzó oppido.

5. Vrbs libera regiaque, ſimul & munimentum nobiliſſimum, *Caſſoniá*, Germanis Kaſchau, Hungariae Superioris, cuius regionem exornat, metropolis, amoeno hilarique campo inſedit, Hernado flumini proxima; vnde etiam foſſis aquae ſuppetunt, ſic ſatis copioſe. Eſt equidem in ea, ob paludoſam circum regionem, aeris quaedam inſalubritas; quae tamen, ſedula vicorum mundatione, aliquantum emendata eſt. Quod ad interiorem vrbis habitum adtinet; diuerſis ea plateis interſtinguitur. Iucundiſſimum, profecto, amniculus Cſemely, adſpectum facit: quippe qui, facta in foro, cui ſtatua impoſita eſt, ouali inſula, reliquam vrbis partem, ſuſurro iucundiſſimo, perfluit. Ceterum, publicorum Comitatus Iudiciorum, Aerarii Regii; quin Vniuerſitatis etiam ſede, excellit. Accedit armamentarium etiam, bellicis adparatibus inſigniter inſtructum, cum cella penuaria longe refertiſſima. Sed, nec deſunt militum contubernia, duo quippe, eaque vaſta mole exſtructa. Munitiones, olim iam celebres habuit; quae tamen a FRANCISCO RAKOCZIO, longe firmiores factae ſunt. Quin, & foſſis eo tempore profecit, non amplis modo, ſed frequentibus etiam. Præſidium frequens, olim Germanicum, nunc & Hungarícum, ei ineſt. Propugnaculum, ſuburbia, longius tamen remota, circum-
clu-



cludunt. Ciues, mercatibus potiſſimum quaeſtum faciunt.

6. Arces prouinciae, vetuſtate interierunt plurimae. Sunt autem:

(a) *Ujvár*, haec illa eſt, quae toti prouinciae nomen impertiuit, ad Hernadi ripas poſita, campo planiori, adeo iam obnoxia ruinis; vt, ne munitionum quidem amplius veſtigium vllum, praeter foſſas, adpareat.

(b) *Regétz*, monti inſedit, amplo tramite. Adeo venuſtis olim palatiis inſtructa fuit: vt non dubitarit EMERICUS TŐKELY, nuptias hic concelebrare.

(c) *Szalánc*z, praerupti montis faſtigio impoſita fuit, quod e ruderibus tantum adparet.

(d) *Iáſzſzo*, hucdum valida eſt, poſitu amoeniſſimo. Bodua enim fluuius praeterlabens, & iucundam efficit regionem, & ſalubrem. Conuentu celebratur hodieque, & tabulario publico, cui perpetuam ibidem ſedem poſuere. Vltra in valle, oppidum eſt, vno admodum vico decurrens.

7. Oppida plura inueneris, in quibus:

(a) *Maius & Minus, ſeu Superius & Inferius* Metzenſeiff, duo diuiſa copioſaque oppida, quae antiquis Germanorum coloniis, ſuas debent origines. Incolunt hucdum Germani, qui, cum Hungaris & Slauis, a longo iam tempore, mira humanitate conueniunt. Robuſti laborioſique hi generis ſunt, metallici partem maximam. Qui, quod ferrum in montibus obuium eſt, effodiunt: non exiguum oppidis commodum, conciliant. Moribus certe peculiaribus gaudent.

(b) *Szepſi*, exiguum magis quam copioſum, à colonis Hungaris habitatum.

(c) *Gőntz*, eiusdem cum priori conditionis eſt.

(d) *Szikſzó*, locus duplici Turcarum clade, inſignis,
vino

vino proficit & nundinis pecuariis. Recedit autem Caſſouia, ſex, in meridiem, milliaribus.

8. Sunt praeterea quoque memoranda:

(a) *Praepoſitura Myslienſis*, ſeſqui tantum milliario, ab oriente in meridiem, Caſſouia reducta. Aedificium ad caſtelli modum exſtructum eſt. Nunc P. P. Ieſuitis paret.

(b) *Abbatia B. V. Mariae de Szeplak*, quondam Benedictinorum, vetuſtioris originis, quam, vt extricari poſſint eius initia.

9. Comes ANTONIUS CSÁKY de Kereſztſzeg, Supremi Comitis locum obtinet, neque tamen ſibi perpetuum.

## §. VI.

COMITATUS GÖMÖRIENSIS, Hungaris *Gömör Vármegye*, Germanis die Gömörer Geſpanſchaft, Slauis Gemerſka Stolicza, ab oppido Gömör ſic nuncupatur:

1. Montoſo partim, partim plano ſitu reſedit, Borſodienſi hinc, illinc Tornenſi Comitatui, limitaneus.

2. Incolae, qua ineunt montium ordines, in finibus Abaujuarienſium, *Germani* ſunt; in planitie autem, qua longius decurrit regio, *Hungari* etiam atque *Slaui*.

3. Reliqua Comitatus conditio ea eſt; vt, fructifero hinc, illinc aſpero, ob arenoſam terram, ſolo gaudeat. *Frumento* tamen gaudent copioſo, diligentes agricolae, *vino* etiam nobiliſſimo multis in locis. *Rei pecuariae*, non magnam licet, aliquam tamen impendunt operam. Nec *mineralia* deſideraueris. Nam, & ferrum fodiunt copioſe, inquilini, & metallorum genera alia.

4. Hunc, *per valles & fluuiorum decurſus, diſpertiuere* incolae. Sunt vero:

(a) *Vallis Roſnauienſis*, Hungaris *Roſnò Völgy*, tractus



ctus eſt, ea valle decurrens, qua oppidum Archiepiſcopale Roſnauia, inſedit.

(b) *Confinium Grani*, Hungaris *Garam Mellyéke*, ora eſt ad Granum reducta.

(c) *Cſetnekienſis*, Hungaris *Cſetnek Völgye*, ea valle procurrit, in qua oppidum Cſetnek eſt.

(d) *Muranienſis*, Hungaris *Murán Völgye*, regio, cui Murány arx editiſſima, praeſedit.

(e) *Ratkoienſis*, Hungaris *Ratkó Völgye*, a loco cognomine ſic dicta.

(f) *Balogienſis*, Hungaris *Balogh Völgye*, dedit ei nomen arx Balogh.

(g) *Erdő Hacſág*, h. e. Dorſa montana, ab loci habitu ſic dicta.

(h) *Confinium Sajó*, Hungaris *Sajo Mellyéke*, ora eſt pone amnem Sajò ſepoſita.

5. Arces, quod ſaepius conquerimur, hac etiam regione, iamiam intercidunt. Fuere autem:

(a) *Murány*, arx olim munitiſſima, altius excedenti monti impoſita, hodie quod non curetur reſtauratio, pedetentim labitur. Palatia, certe, quibus inſigniebatur antea, ne formam quidem decoris priſtini retinent. Infra arcem, oppidum eſt ſic ſatiscopioſum.

(b) *Kráſzna Hórka*, mille paſſibus, in orientem, Roſnauia reducta eſt, amoeno poſitu. Montem enim, vnde liberrimus, in late patentem planitiem, proſpectus eſt, occupat. Eſt in ditione Baronum ÁNDRÁSY, qui, non poſtremis id munitionibus, donarunt,

(c) *Balogh*, &

(d) *Putnok*, nobiles olim, ſed, quas iam, temporum viciſſitudo, abſumpſit.

6. Oppida ſequentia regionem inſident:

1. *Roſnauia*, Germanis Roſnau, Hungaris *Roſnó Banya*, Slauis Rosnawa, oppidum Archiepiſcopale,

pale, metallicum. Eleganter id poſitum eſt, frequenter non minus, quam Nobilibus etiam domibus cultum. Aurum fodit, cuprum, cinnabarim, & mercurium viuum. Ciues Germani olim omnes, iique, veteres illi fuere. Hodie, pauci eorum ſuperſunt, admiſſis Hungarorum Slauorumque coloniis.

2. *Cſetnek*, in occidentem abit, vno admodum milliari, a priori Roſnauia diſiunctum, multis Nobilium ſedibus clarum eſt: quod, & ſitus oppidi amoenus eſt, & ferri fodinae copioſae ac feraces, hic ſunt.

3. *Dopſau*, eiusdem ſortis eſt, eo ſolum a priori differens; quod Germanos haec incolas habeat, peculiaris cuiusdam idiomatis. Hic, aeque & ferro potiuntur, & cupro. Cinnabarim, certe, magna copia effodiunt.

4. *Gomor*, frequentibus colonis inſeſſum eſt, oppidum, quod, toti etiam regioni, nomen communicauit. Iam, & frequentia, & opulentia oppidi, deficit.

7. Supremum Comitem, PAULUS è Comitibus. BALASSA de Gyarmath, agit, iure ſibi necdum perpetuo.

## §. VII.

COMITATUS TORNENSIS, Hungaris *Torna Vármegye*, Germanis die Torner Geſpanſchaft, cui, oppidum tenue Torna, adpellationem ſuam communicauit.

1. Omnium Hungariae Comitatuum minimus, & forte, opibus etiam tenuiſſimus eſt. Incingitur vero Abaujuarienſium, ab *oriente*; ab *occidente* Gömörienſium finibus. Quod *aquiloni* & *auſtro* obnoxium eſt, Scepuſienſi partim, partim Borſodienſi orae, confine eſt. Ambitus integer, decem circiter milliaria, effecerit. *Longitudo* enim, qua maxima etiam



etiam eſt, quatuor fere milliaria exaequat, *latitudo*, vix tria, alicubi. Integer, praeterea, *montibus* refertus eſt altiſſimis, interiectis, hinc illincue, vallibus, quae aliquam *vitis* colendæ praebent opportunitatem. Aere perflatur, quod optimum hac regione eſt, ſaluberrimo, ob celſiſſima montium iuga.

2. Coloni *Hungari* ſunt quam plurimi, extra morem gentis obtuſi; mixti tamen, & *Slauis Ruſſisque*. Laborum eo patientiores hi ſunt, quo maiori cum cura & aerumna, vitam, ob ſoli aſperitatem, trahunt.

3. Terrenum, paſſim petroſum eſt, & inutilibus arenis conſtat. Ideoque etiam, non adeo amicum ſementibus. Vbi tamen benignior exſtat ager, non *frumento* ſolum omnis generis, ſed vino etiam, egregie proficit. Vix vero vlla re magis, quam paſcuis abundat, *pecudi* ſuſtentandae, quam frequentiorem habent, commodiſſimis. Siluas, *feris* obſitas, haud aeque deſideraueris. *Metallorum* vero, praeter ferrum, inops eſt. Ceterum, duo potiſſimum commemoranda exiſtimauimus, hac regione notatu praecipua.

(a) *Antrum Szádelöienſe*, in meridionali parte Comitatus viſitur, vaſtum & variis introrſum anfractibus conſtans. Cauitas ad dimidium fere milliaris excurrit, vbi demum aperitur denuo. Intus oſſa animantium, teſtarum reliquiae, & alia cultus indicia viſuntur, adeo; vt & indicio ſint nonnullis, incolas, barbarorum expoſitos impreſſionibus, hic ſua olim perfugia habuiſſe. Multae variaeque, de antri huius originibus, opiniones ſunt. Ii tamen optime exiſtimant, qui ad BELAE IV. tempora, latibuli originem referunt. Is enim, ad Sajò amnem, non longe a Tornenſium finibus, cum caeſus a hoſtibus eſſet: quod nil, praeter occulta montium receptacula, ab hoſtium

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára Székelyudvarhely

ſtium inuaſionibus tutum fuit; facile in hanc cauernam incidit, ibi vſquedum hoſtium ſedaretur furor, latens. Exſtant, non longe, muri veſtigia, quibus incingebatur olim, ſpecus vaſtiſſima. Quidquid eius rei ſit, mereretur certe, tam nobile antiquitatis monimentum, vt accuratius paulo, & origines eius, & habitus peculiaris, indagarentur.

(b) *Specus Szeliczenſis*, ad eiusdem nominis vicum, latet. Grande huic os eſt, octodecim quippe orgiarum, in longitudinem, in latitudinem, nouem extenſum. Peculiari certo naturae prodigio fit: vt, cum extus aer frigidus, tepidus hic, imo & calidus, animaduertatur; contra vero, frigidus, cum foris aeſtas calidiſſima; & id quidem adeo, vt ſimul ac vernus aer regionem adlabitur; ex interno antri arcu, aqua deſtillet ſubito in glaciem coaleſcens; fitque, vt ſtirias ſubinde efficiat, guttarum copia doliorum inſtar propendentes. Profundos praeterea receſſus habet, pleroſque adhuc inexpertos, glacieque refertos adeo; vt, aeſtate ſumma, centenos aliquot currus, glacie inde repletos, accolae deuehant; ineunte vero hyeme, cum tepidus inualeſcit aer, diffluant omnia. Hinc, quae frigus externum ſufferre nequeunt animantia; quin & lepores vulpesque, hic opportuna inueniunt receptacula. Superficies antri, gramine obtecta eſt, paſcendo pecori ſaluberrimo.

4. In duos PROCESSUS diuiditur prouinciola, quorum hae ſunt nuncupationes.

(a) *Superior*, in aquilonem & orientem, ſubducitur, totus montibus horrens, pauca, hinc atque illinc, planitie interſerta.

(b) *Inferior*, qui in occidentem & meridiem recedit, pone Boduam amnem, ſiluoſus & hic, ac aſper montibus.





5. Arces duas incolit exilis regio:

(a) *Thorna*, in praecipiti monte, difficilis antehac aditus, conſedit. Praetorio etiam ornata fuit, quod vero in rudus abiit dudum, cum, iuſſu LEOPOLDI M. demoliretur arx integra.

(b) *Szadvár*, Slauici ortus eſt, poſitione excelſa, & proſpectu, in late patentem regionem, longe amoeniſſimo. Munitionibus, ſi vlla arcium, haec certe inſtructa fuit egregie: vt propugnaculis etiam adnumeretur. Poſtea vero, ne Tőkelyanis eſſet receptaculum, aeque LEOPOLDI M. mandatis nudata fuit moenibus, adeo quidem; vt dumetis iam, praeſidii loco, cinctam conſpicias

6. Oppida, ob tenuitatem regionis, praeter *Tornallyam* nulla ſunt. Et id quidem, ab arce in meridiem reductum, iucundi ſitus eſt, quippe amniculo, quem vulgo Torna-viz dicunt, proximum. Habet & nundinarum iura, cum perpetua congreſſuum prouinciolae ſede.

7. Fontes & aquas ſalubres multas habet. Praecipuus, in iis eſt, qui, medio à ſpecu Szelicenſi, milliario ſcatet. *Ló Fej*, Hungaris, quod equi caput ſignificat, dicitur. Mox hic aquis abundat, mox inops earum eſt, vel exareſcit plane. Meridie potiſſimum, quaſi e fonte profundiſſimo, magnam aquae vim euomit, quam aquae eructationem, horae ſpatio intermittit, non ante reiterandam, quam diluculum inierit. Reliqui, ſalubres quidem omnes, ignobiliores tamen ſunt.

8. Supremus Comes, eſt IOSEPHUS è Comitibus KEGLEVICS de Buzin, neque tamen perpetuus.

§. VIII.

COMITATUS BORSODIENSIS, Hungaris *Borſod Vármegye*, Germanis die Borſchoder Geſpanſchaft, cui arx vetuſta Borſod, hanc denominationem conciliauit.

1. Incingitur vero, ab *oriente*, partibus Comitatuum Abaujuarienſis, Zemplinienſis & Zaboltſenſis; He-

ueſienſi & Gömörienſi, ab *occidente;* a *ſeptentrione* denique, Tornenſi partim, partim Abaujuarienſi. Conſtat, campis ſpatioſis, ſiluis, item montibus, varia rupium & amniculorum copia, conſpicuis. Montium, *Bikke;* & fluuiorum, quibus irrigatur prouincia, *Tibiſcus* & *Sajo,* praecipui ſunt.

2. Comitatus incolae, maximam partem, *Hungari* ſunt. Interſunt tamen his, & *Germani;* rariores tamen, quos *Slauorum,* quae in dies augentur, coloniae, multo ſuperant.

3. Magnam, haec regio, fertilitatis laudem habet. Non modo enim, *ſementis* omnis, feraciſſimum ei terrenum eſt; ſed vini etiam nobiliſſimi, quod, diuerſitate regionis, variat. *Pecorum,* & venatus omnis generis, maxima frequentia eſt; quod, de piſcatione etiam dixerim. *Metalla* hucdum, praeter cuprum, in *Ruda-Bánya* nulla eruunt incolae.

4. Habet PROCESSUS IV. ab arcibus & oppidis denominatos. Sunt autem:

(a) *Miskoltzenſis,* ita vocatus; quod oppido cognomini, circumfunditur. Montibus gaudet, & planitie fertiliſſima.

(b) *Onodienſis,* trahit nomen a caſtro Onod, eam regionem complectens, quae, infra montes, campeſtri poſitione, in Tibiſcum vsque procurrit. Abit in orientem.

(c) *Szendröienſis,* eam Comitatus portionem tenet, quae, circa Szendrö arcem & oppidum, per confinia Abaujuarienſium, Tornenſium & Gömörienſium, interfluente Boldua amne, diffunditur.

(d) *Szent Péterienſis,* incipit ab oppido cognomine, pergitque penes Sajo amnem; inde, in occidentem flexus, in orientem recedit. Integer inſidetur montibus.

5. Arces, quibus munita olim regio fuit, hae circiter fuere inſignes:

(a) *Dios-Györ,* ruina eſt arcis olim regiae, quam, MARIA Regina, LUDOVICI II. coniux, luxurioſe ſatis exſtruxerat, horae vnius itinere, ſupra Miskolcz, intra occidentem & ſeptentrionem, amoena valle, &, pomorum, vini, nucumque feraci, recedit. Infra arcem, oppidum occupat, obſoletum iam; niſi nuper admodum, Germanorum aliquae, tenues quidem, coloniae acceſſiſſent.



(b) *Onodum,* Hungaris *Onod,* itidem arx & oppidum, bellorum potius euentibus, quam ſua mole, nobilitatum. Heic funeſta illa Rakoczianorum Comitia, anno 1707. agitata fuere. Quibus, & IOSEPHUM Regia dignitate exauctorarunt, & turpiter, in ſua ipſorum viſcera, ſaeuierant. Conciderunt, nempe, *Okolitſanium* & *Rakovſzkium* Thuroczienſes, viros nobiles; quod, minus fidos factioni ſuae, putarant. In ſinu Sajonis, loco paulum demiſſo, poſita fuit arx.

(c) *Cſerepum,* Hungaris *Földes,* arcula, aductis terrae ſuggeſtibus, conſpicua, nunc in vicum abiit.

(d) *Szendrouia,* Hungaris *Szendred,* arx, ad Bolduam exſurgit, quatuor Miskolczino milliaribus recedens. Rakocziorum demum motibus, diruta penitus. Oppidum ſubiacens, tenue eſt admodum.

(e) *Dedeſſa,* Hungaris *Dédes,* iugum montis inſidebat, arx munitiſſima; quam tamen barbarorum furor, penitus deſolauit. Necdum ſe mus reparatam. Siluis enim, in dies, magis magisque offunditur.

6. In Oppidorum, quae peculiaribus gaudent priuilegiis, haec potiſſimum referenda ſunt:

(a) *Miskolczinum,* Hungaris *Miskólcz,* vaſtum copioſumque oppidum, colli vinifero ſubiacet, in orientem, ita tamen; vt maxima ſui parte, in planum exeat. Medium oppidi vicum, Szynva amnis, amoeno aquarum lapſu, interfluit. Curia prouinciali, aedificio ſolido inſtructa, excellit. Accolae, mercatibus viuunt, vini potiſſimum, quod

quod nobile, collibus circumpoſitis, gignitur. Nobiles, quorum multi hic ſedem elegere, locum eo reddunt nobiliorem; quo magis, hodierno ſplendore, ſua conformant aedificia.

(b) *Kereſteſſum,* Hungaris *Kereſztes,* quatuor horis, a priori, meridiem verſus, diſſidet, populoſum aeque oppidum, ditionis regiae, plano loco, paluſtri tamen, ſubinde. Cincia enim riuulus, non oppidum modo, ſed integram regionem illam, humectat. Inquilini, nobili quidem ſanguine nati, pauperculi tamen ſunt plerique, paſcuorum, inter reliqua rei ruſticae bona, inopes; quae, annuatim, ab Agrienſi Epiſcopo, redimere neceſſum habent.

(c) *Kövesdum,* Hungaris *Kövesd,* a ſitu campeſtri, Mező-Kövesd adpellatum aliquibus. Multo tenerius, priori eſt; licet, medio ſolum milliari, ab eo reductum.

(d) *Aſzálo,* elegans & frequens, ad Barſonyoſum riuum, cuius etiam eluuionibus, colonia, multum obnoxia eſt.

(e) *Oppidum S. Petri,* Hungaris *Szent Péter,* in ripa Sajonis. Coloniae, ob ingentem inopiam, pauperes ſunt, vino quaeſtum aliquem quaerentes.

(f) *Edelinum,* caſtellum eſt eleganti opere exſtructum, & facile, tota hac ora, comtiſſimum. Comitis de LUILLER poſſeſſionibus adnumeratur, Boldua amne, totum quantum, incinctum.

7. Thermae nobiliſſimae, hoc Comitatu viſuntur; quae vero, quod nullatenus obſeruentur diligentius, a heris ſuis, in lacunas effunduntur. In his:

(a) *Szalonnienſes,* nomen pagi ſuſtinent. Spectant autem ad ditionem Cſakianam. Manant fonte vberi ſalubrique, a ſolis agreſtibus frequentatae.

(b) *Kácſienſes,* heri prouidentia, e lacu, in aedificium balneo deſtinatum, reductae ſunt. Habet, & fontem acidum, prouincia. Scatet vero, e radicibus montis Bikke, pone vicum Cſernes. Quapropter, vici etiam colonis, pro diurno potu ſunt.



8. Supremum Comitem, nunc, FRANCISCUM è Comitibus ESTERHÁZY, ſcimus; quae ei dignitas, haud eſt haereditaria.

## §. IX.

COMITATUS HEVES & SZÓLNOK EXTERIOR, vniti, Hungaris *Heves és Külső Szólnok Vármegye.*

1. Definiuntur PROCESSIBUS IV. & ſunt:

(a) *Matrenſis,* monti cognomini, & laxis eius radicibus, innexus.

(b) *Gyöngyöſienſis,* cui oppidum Gyöngyös nomen impertiuit, porrigitur per montium radices.

(c) *Tarnenſis,* ab amne Tarna, qui eum interfluit, ſic vocitatus. Hic, vbi a ſiluis emerſit, diſcedit in planitiem, adtingitque Iazygum fines.

(d) *Tibiſcanus* is eſt, qui Szolnok Exteriorem conſtituit, procurrit aperta regione, cis & trans Tibiſcum.

2. Vnius Supremi Comitis iurisdictioni, ſubſunt Comitatus vniti, qui hodie, Epiſcopus Agrienſis eſt; isque Comes FRANCISCUS BARKOCZY de Szala, quam Epiſcopatui, dignitatem, propriam fecere anteceſſores. Iam, de duobus vnitis Comitatibus, in ſpecie

## §. X.

COMITATUS HEVESIENSIS, Hungaris *Heves Vármegye,* Germanis die Hewesienſer Geſpanſchaft, oppido Heues, quod habet, nomen, debet. Eſt vero:

1. Comta regio, longius ab ortu in occaſum protenſa, montibus hinc, illinc campis, varia. Illorum, prouincia hac, immo toto regno etiam, princeps *Matra* eſt. Qui, apud Neogradienſes exſurgens, vtriusque Comitatus fines, vna ſerie exaſperat, iugis altioribus hic, alibi depreſſioribus. Rigatur etiam fluuiis, *Tibiſco* in primis, regio, adeo quidem: vt, nimia aquarum humectatione, vliginoſam efficiat. Quod, in *meridiem* vergit, Béke-

 ſienſes;

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára Székelyudvarhely

ſienſes; quod vero in *ſeptentrionem*, Neogradienſes adtingit, in *ortu* & *occaſu*, monte Matra terminatum.

2. *Hungari* habitant, ad quos, poſteaquam Turcae eo tractu pulſi fuiſſent: *Slaui*, *Raſciani*, *Germanique*, acceſſerunt. Frequentes etiam, extra modum, *Zingaros* videas, expanſis tentoriis, fabrilia tractantes.

3. Fertilitatis magna diuerſitas hac ora eſt. Intra montes enim, aſperum; fertile contra & foecundum, in planitie, ſolum eſt. *Vitis* vbique patiens terrenum eſt, eo tantum diſcrimine: quod, qua intra montes colitur, ſerius; qua vero in collium decliuitate, maturius progerminet. Optimum *vinum*, quod reor, *Agrienſe* eſt. Praeterea, *pecorum* etiam; porcorum in primis, magnam alunt copiam incolae. Diu enim noctuque, in deſertis, eos carectis ſaginant. *Piſcium* copia ingens, ſuppeditatur a Tibiſco; Huſonum maxime & Antaceorum. Metalla, certe, praeter *nitrum*, nulla eruuntur; quamuis in monte Matra, *auri* ſubinde venae reperiantur.

4. Ciuitatem celeberrimam habet *Agriam*, Hungaris *Eger*, Germanis Erlau, dictam. Valli ea inſedit, multis prouiſa opportunitatibus. Fluuius enim cognominis, mediam, a ſeptentrione, ſcilicet, in meridiem, interluit. Ornatur praeterea, Seminario Leopoldo Telekeſiano; quin, triplici etiam Xenodochio. Vinum, certe, quod fundunt colles Agrienſium, album non minus, quam rubrum, nobile ſatis eſt, & guſtus optimi. Vrbem arx munita adſedit, monti praerupto, qui vrbem adſpicit, impoſita. Saepius illa, prout aliae etiam Hungariae arces, Tartarorum tyrannidem ſubiit. Vnde, facile aeſtimandum, quantum a priſtino flore amiſerit. Nunc, frequens militum praeſidium, cuſtodit arcem, ſuggeſtibus adhuc, & propugnaculis aliquot, reſiduis.

5. In caſtris & arcibus, praeter Agrienſem hanc, ſuperſunt:

(a) *Hatuania*, Hungaris *Hatvan*, in montis Matrae radi-



radicibus, ad Zadvam fluuium reſedit, nobile olim propugnaculum. Quod, cum anno 1678. a Turcis recuperaretur: demolitum eſt, adeo quidem; vt aegre, veſtigium arcis tam celebris, tueatur. Oppidum, quod inferius viſitur, augeſcit in dies.

(b) *Szarvas-Kő*, vno diſtat milliari Agria, in ſeptentrionem. Tenet vero cliuum montis. Siluis contigua, iam clauſa tenetur.

6. In Oppidis haec numerauerim:

1. *Gyöngyös*, frequens & elegans oppidum eſt, loco plano & hilari. Coloni Hungari plurimi inhabitant, interſertis Germanorum quoque nonnullis, qui, & vino & mercatibus, vitam tolerant, agricolatione, ob exilitatem territorii, neglecta. Ceterum, magnam, vbique, nundinarum laudem habet.

2. *Páſztó*, oppidis quidem accenſum eſt; ita tamen, extenuatum iam: vt, multis pagis, dixerim, deterius. Fluuio Zadvae adſitum, & agro ſterili eſt, & incolis miſeris, qui, parte maxima, Slaui ſunt.

3. *Gyöngyös Pata*, copioſum hucusque, in Matrae, radicibus, dimidio a Gyöngyös, in occidentem, milliari ſubmotum; bono quidem, ſed anguſto agro, gaudet, ab Hungaris habitatoribus cultum.

7. Thermas, praeter *Agrienſes*, nullas habet: licet illae etiam, rarius; &, tum niſi, a Comitatus incolis frequententur.

§. XI.

COMITATUS SZOLNOKIENSIS EXTERIOR, propterea ſic dictus, quod tres habeant, Hungaria, & Tranſiluania, Comitatus cognomines; alterum in Tranſiluaniae confinibus, qui Szolnok mediocris; in Tranſiluania alterum, qui Szolnok interior, nuncupantur.

1. Exilis autem eſt, regiuncula haec: quod Tibiſcano ſolum, vt diximus ſupra, Proceſſu definiatur. Accolitur ad Tibiſcum, vnico fluminis flexu, plus mi-

G 2 nus

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára Székelyudvarhely

nus milliaria octo. Caret montibus plane vbique; ſubinde tamen, ſiluis etiam. Lignorum, itaque, inopia, multum laborat. Tota, certe, Heueſienſi Comitatu circumdata eſt.

2. Incolae, qui habitant prouinciam, tenuis fortunae ſunt, iique *Hungari,* qui, quod, frequentibus Tibiſci inundationibus, obnoxium agrum excolunt: nec agricolationi, nec vini culturae, vllam impendunt operam.

3. Ager regionis fertilis, maximam partem, pinguis eſt: dummodo, & maior incolarum frequentia, & opes, ſuppeterent. Praeterquam enim, quod olim, perpetuo belli metu, miſere exagitabantur coloniae: non habebant etiam, vnde, vel ſibi, vel liberis, vel agris, proſpicere potuerint. Pauperies ergo ſumma, id effecit: vt, ſolum fertile, euiluerit. *Pecus* maxime proficit; quin, *ferae* etiam, diuerſi generis. *Piſcium* ingens, ob praeter labentem Tibiſcum, copia.

4. Vnum inſedit caſtrum, idque, belli monumentis, ſic ſatis nobile, *Szolnokum,* Hungaris *Szólnok,* anno 1549. FERDINANDI Caeſaris iuſſu excitatum. Summa id arte exſtructum fuit; cui naturae etiam acceſſit praeſidium. A meridie enim Tibiſcus, Zadva a ſeptentrione, arcem alluunt, adeo quidem: vt, partibus illis, haud queat oppugnari. Forma ei quadrangula fuit, foſſa ampla, triaque fortiſſima propugnacula. Singula haec, magnam, Turcarum tempore, ruinam paſſa ſunt. Habent hic, pontem Szolnokienſes, nusquam, praeter hic, qua Tibiſcus nauigabilis eſt, flumini, eo loco, quo is Zadvae accedit, impoſitum. Oppidum vaſtum ſuccedit arci, cui, elegans P. P. Franciſcanorum clauſtrum, inaedificatum viſitur. Habet, & ſalis depoſitorium, regio; idque, amplo beneficio, adſurgens. Ciues oppidi Hungari ſunt, Germanis mixti & Slauis.

5. Op-



5. Oppida pauca reperias, nec plura fors duobus; quae ſunt:

(a) *Thúr,* quinque Szolnokino milliaribus diſiunctum. Ad ripam amnis Berettyó, in meridiem acceſſit. Hungari inhabitant, frequentibus coloniis.

(b) *Porozlo* adſedit, dextro Agrii amnis margini, ſolo fertili, quod commodam, incolis Hungaris, agricolationem facit.

§. XII.

COMITATUS CSONGRADIENSIS, Hungaris *Cſongrád Vármegye,* Slauis **Cſongradſka Stolicza,** Germanis **die Tſchongrader Geſpanſchaft,** cui nomen, celebris munitusque locus, Cſongrád, impertiuit.

1. Amoenam regionem continet, vbique fere locorum, ſi colliculos quosdam exceperis, planiſſimam. Sua autem, ab *oriente,* in Bekeſienſium & Cumanorum Maiorum, in Minorum ab *occidente,* finibus, capit exordia. Quod vltra *ſeptentrionale* eſt, Peſtienſi, & Szolnokienſi; quod vero *meridionale,* Cſanadienſi, Temeſienſi, Bács & Bodrogienſi, prouinciis, interiacet. Praeter aliquos ad Tibiſcum, qui totum, quantus quantus eſt, Comitatum, a ſeptentrione in meridiem, interfluit, margines, pauca ſilueſcere videas. Partem eximiam prouinciae, tum Comitatus alii, tum Temeſienſis in primis Banatus, Bátſienſisque regio, abſorpſit. Frequentes, ob fluminum, quibus irrigua eſt, copiam, paludes tolerat. Quod enim, integer Comitatus ambitus, depreſſiore ſolo eſt: illapſas, ſubinde, aquarum inundationes, perpetuo quaſi ſinu retinet.

2. Incolae diuerſi habitant. Praeter *Slauos* enim frequentes, *Raſcianosque* militiae deditos, plerumque *Hungaros* etiam, genuinos illos, ſuſtentat. Germani certe, pauci admodum, in vrbe Szegedienſi, & pagis aliquot, habitant.

3. *Frumenti* & *vini* prouentum, eadem foecunditate, admittit prouincia. Illud enim, vltra Tibiſcum, ſic



ſatis

ſatis proficit. Hoc, frequentius licet; ignobilius tamen, colitur. *Pecoris*, ob paſcua egregia, prouentu, maximam laudem, meretur regio. Nam, non procerae modo ſtaturae; ſed copioſum etiam, ſuſtentant incolae. *Feras*, praeter luporum vulpium leporumque genera, pauciores admittit. *Piſcium*, profecto, ei tantum ſuppetit, quantum vix alibi.

4. Vrbs libera regiaque, ſimul & munimentum fortiſſimum, *Szegedinum*, prouinciam tuetur. Quam Germani, communi cum Hungaris & Slauis nomine, Szegedin adpellitant. Adſidet Tibiſco, ea, qua ad Temeſienſes deproperat, parte. Aliquot iam vicibus, Turcarum ſuberat poteſtati; perpetua tamen EUGENII Principis virtute, & nunc demum, Cæſari adſertum. Ipſa exterior forma, quadrangulum refert, rotundis circum munitionibus, incinctum. Vrbs iucundi adſpectus eſt, pulchris ſubinde domunculis ornata. Tres habet aedes ſacras. Thracum certe illud, ritus Graeci, oratorium, totius nationis Graecae, tam ob murorum proceritatem, quam decorum etiam internum, pulcherrimum eſt. Suburbia duo ſunt, quorum ſuperius alterum, alterum inferius, dicitur. In ſuburbii ſuperioris margine, depoſitorium ſalis viſitur, eleganti opere exſtructum. Piſcinas multas, circum vrbem, videas: quod ciues, piſcibus etiam quaeſtum faciunt. Praeſidium Germano milite conſtat, & validum & copioſum.

5. Caſtra olim multa, regionem inſidebant, quae Hungari Foſſata nominant. Octo eorum numerabimus, quorum pleraque, vel interciderunt iam, vel ruinae ſunt proxima. Nomina eorum ſic habent:

(a) *Cſongrád*,
(b) *Szentha*, nobili de Turcis victoria EUGENIO Duce, anno 1697. reportata, nobilitatum eſt.
(c) *Földvár*,
(d) *Martonos*,
(e) *Kis-Kaniſa*,

(f) *Oſztro-*



(f) *Oſztrova*,
(g) *Petroſzela*,
(h) *Szegvár*. Haec illa ſunt caſtra, quae temporum iniquitati ſubiecta fuere.

6. Oppida duo numerat Comitatus:

(a) *Váſárhely*, a nundinis ſic dictum, quibus hodienum etiam proficit. Duobus in orientem milliaribus, Szegedino diſtat, paludi Hod, adpoſitum. Colitur ab Hungaris, pecuaria re vitam tolerantibus.

(b) *Szentes*, tribus a priori milliaribus recedit, Kurtzae riuo, meridiem verſus, adſidens. Populoſum & hoc oppidum eſt, aeque ab Hungaris habitatum.

7. Supremum Comitem, nondum tamen perpetuo iure auctum, STEPHANUM è Comitibus HALLER de Hallerkő, habet.

Hactenus, de Hungaria Cis Tibiſcana.

## MEMBRUM IV.

DE

## HUNGARIA TRANS TIBISCANA.

ORa eſt, intra Tibiſcum & Tranſiluaniam, inde a Valachia, ad Poloniam vſque, protenſa. Nos, ab inferiori eius parte, deſcriptionem exordiemur. Eſt autem,

§. I.

COMITATUS TEMESVARIENSIS, ſeu *Temeſienſis*, Hungaris *Temes Vármegye*, Germanis die Temeſchwarer Geſpanſchaft, qui, nomen, a Temesvár arce, petiit. Dicitur, alioquin, & *Banatus*; quae tamen adpellatio contra leges eſt, inde credo orta: quod, huic Comitatui, BANATUS etiam SZŐRINIENSIS, qui in finibus Valachiae panditur, acceſſerit. Eſt vero,

1. Magni ambitus prouincia. A confluente enim



Maruſii

Maruſii & Tibiſci init, Alutæ demum fluuio, poſt 32. milliarium excurſum, terminatus. *Latitudo* eius, parte ſuperiori viginti; decem inferiori; infima denique, ſex milliarium eſt. Plures Comitatus abſorpſit: dum, in eam terrarum molem, qua jam eſt, euaſit. Poſteaquam enim, Comitatus *Torontalienſis*, quem interiiſſe putabant plerique, integer; ingens etiam Comitatum, *Cſanád* & *Arad*, portio, a Turcis recuperata, ei accenſerentur: accreuit adeo, vt iam, Regnum, ob tantos, tamque vaſtos acceſſus, dici mereatur. Poſitum, qua in occidentem aſpicit, media regione, campeſtrem, & fluuiis irriguum innumeris, accepit; media, montes adtolluntur, quorum Verſchez, praecipuus eſt, alto iugo adſurgens.

2. *Valachi* incolunt, potiſſimum, prouinciam; quorum ſermo, multum idiomatis latini, retinet. Ferox natio, & praedationibus dedita nimium. *Raſciani*, cum *Hungaris*, qui tamen ad paucitatem redacti ſunt, huc etiam acceſſere; quos, *Germani*, & copia & ſedulitate, longe antecellunt.

3. Reliquus prouinciae habitus, qua incoli poteſt, egregie ad *fertilitatem* inclinat. Multa enim deſerta ſunt, quae, vel ob ſoli ſterilitatem, vel frequentes fluminum eluuiones, incoli nequeunt. *Vinum*, quod proferunt montes, nobile eſt; hoc tamen vitio, quod, vltra anni ſpatium, retineri non poſſit, notum. In his, Verſchezienſe illud, optimum eſt. Aer, aliis locis, ob lacunarum copiam, inſalubris; aliis, vbi montes ineunt, ſalubrior, perflat regionem. Res *pecuaria*, praeter ouium & porcorum paſtum, parce adeo habetur. De *piſcium* & *venatus* vbertate, ex fluuiorum & ſiluarum frequentia, coniectare licet. *Metalla*, culta hic, magni aliquando, vt ſunt indicia, reditus, futura creduntur. Summam operam, cupro eruendo impendunt, tanto fructu: vt, neceſſum iam fuerit, Cameram ibi montanam peculiarem conſtituere. Argentum & ferrum, parcius occurrit.





4. OCTODECIM DISTRICTIBUS definitur, a locis praecipuis denominatis. Sunt vero ſequentes:

(a) *Temeſienſis*, eam regionem, quae, a Temeſo fluuio, ad Maruſium vsque, profertur, occupat.

(b) *Cſanadienſis*, a meridie, verſus occidentem, citeriori amnis margine, reſedit.

(c) *Betskerekenſis*, olim, Comitatus Torontalienſis fuit, quem euanuiſſe, nonnulli exiſtimarant. Aſcendit is verſus Tibiſcum.

(d) *Pancſouienſis*, a Panczova propugnaculo, ſic nuncupatus, duobus infra Belgradum milliaribus, perpetua Danubii ripa terminatus, viſitur.

(e) *Ujpalankenſis*, pone decurſum Danubii, diffunditur. Debet vero nomen, oppido cognomini.

(f) *Verſchezienſis*, priori a ſeptentrione contiguus, amoeniſſima vndiquaque planitie. Nomen, a Verſchez oppido, adeptus eſt.

(g) *Cſákovárienſis*, per mediterranea porrectus eſt, ſiluis & nemoribus offuſus.

(h) *Lippenſis*, a *Lippa*, valido olim caſtro, vocitatus, diſtrictus arctior, ad Cſanadienſem & Temeſienſem accedit.

(i) *Facſadienſis*, Lippenſi a meridie obuerſatur, montoſus integer. Denominationem ei, Fácſad arx valida olim, impertiuit.

(k) *Lugoſchienſis*, intra montes retruſus, accepit nomen a Lugos, frequenti oppido.

(l) *Caramſebeſienſis*, nuncupatus ab oppido cognomine, totus montibus immerſus eſt, interfluentibus, hinc illincue, amniculis.

(m) *Almáſienſis*, effoeta regione, ob montium, quibus inſidetur, aſperitatem, ſitus, nomen ab oppido Almás mutuauit.

(n) *Claſſura*, a monte cognomine adpellatus, iuxta Danubii ripam, prominentibus altiſſimis rupibus, coarctatur.

(o) *Orſouienſis*, ad Szeuerienſem vsque Banatum procurrit, montibus, quantus quantus eſt, obſeſſus.

ſus. A munimento Orſouenſi ſic dictus, anno 1739. à Turcis occupatus eſt.

(p) *Columbacenſis*,

(q) *Kuſchocuenſis*, &

(r) *Kráſznenſis*, inde ſequuntur.

(s) *Klintſchenſis*, paucioribus incolis, ob terrae infoecunditatem, habitatur.

(t) *Banatus Szőrénienſis*, Latinis Seuerinienſis, in vltimo prouinciae angulo eſt, Valachiae proximus. Adpellatur, ab vrbe vetere Seuerinienſi, Hungaris Szőrény dicta. Pace Belgradienſi, anno 1739. Turcorum adſertus eſt ditioni.

5. Munimenta Comitatui inſunt quinque, eaque fortiſſima; quae, diſtrictuum ordine, recenſebimus.

(a) *Temesuarinum*, Hungaris *Temesvár*, Germanis Temeſchwar, vrbs & propugnaculum, tota Europa notiſſimum, a quo ipſa regio, nomen nacta eſt. Situm, non ad Temeſiam, vt Geographorum plerique errant; ſed, ad Begam fluuium, accepit. Ille enim, duobus ab vrbe ſtadiis, decurrit; hic, perpetuo, propter vrbis propugnacula, deſcendit. Multum, Turcarum incurſionibus, non modo regio integra, verum & munimentum nobiliſſimum, vexatum eſt. Saepius enim, quod ſcimus, barbarorum oppugnationibus fatigatum fuit; quin, Bathorii etiam, & Cruciatorum armis, diu impetitum. Ipſe vrbis poſitus, ita comparatus eſt: vt, ad plus mille paſſus, paludibus ex Bega reſtagnantibus, incingatur. Moenia ei, vaſta mole, praetexta ſunt, continuanturque in dies, munitionum opere: vt locus, quem ipſa quaſi natura muniuit, arte etiam accedente, reddatur inexpugnabilis. Circum circa, nihil, praeter amoeniſſimam planitiem, conſpicias. Habitatur praeterea, a ciuibus copioſis nationum multarum, adeo: vt, peculiaria omnium fere opificum collegia, ei inducta ſint. Germani ciuium plurimi ſunt, Raſcianis, Hungaris, quin Turcis quoque, mixti.

Valachi



Valachi certe, ob collocandas admodum alienis heris operas, ad vrbem accedunt. Aeris quidem ſalubritate aquisque, deſtituuntur ciues: quibus tamen malis, & fonte perenni, & hortorum extra vrbem cultu, mederi ſolent. Arx, vrbi adhaeſit, eodem & ſitu & munitione, qua vrbem diximus. Hanc Begus amnis irrigat, diu ibi torpeſcens; vsque dum, lento alueo, prolabatur aliorſum. Magiſtratus, ab arcis & prouinciae Praefecto, pendent. Inſidetur praeſidio Germanico, iam etiam Hungarico, ſatis copioſo.

(b) *Panczova*, viculus olim tenuis, quem noſtri, poſtquam fama ad eos de Belgradi expugnatione veniſſet, aggere & foſſa circumcluſere. Proximus ſiniſtro Temeſii lateri accedit, milliario vno, a Danubii alueo ſeiunctus. Hunc, poſtquam Turcae expugnaſſent: MERCIUS recuperauit, & nouas ei munitiones largitus eſt, ita: vt iam, forte ſatis propugnaculum Panczova euaſerit; ea in primis parte, qua orienti obtenſa eſt. Occidentem & meridiem verſus, oppidum adnexum habet, aeque etiam vallo munitum. Locus ipſe, hilaris eſt poſitus, & longe iucundiſſimi, in latam vndique planitiem, proſpectus.

(c) *Ujpalanka*, octo in orientem ſtadiis, Panczova diſſidet, opportuno loco poſita. Praeterquam enim, quod vaſtis cingatur munitionibus: ad Caraſſi etiam amnis alueum adſedit, eo loco, quo duplici, in Danubium, cornu influit. A Turcis, anno 1697. deletum fuit, MERCII ductu, denuo Caeſareanis, eodem anno adſertum.

(d) *Lippa*, inſigne olim munimentum, quod nimium defecit hodie. Seiungitur id, quinque in aquilonem milliaribus, Temeſuarino. Arx adpoſita elegans eſt, & amoeni poſitus; quae, multis bellorum tempeſtatibus, euaſtata fuit: vſque dum eo redigeretur locus; vt, plurimae fere mu-

nitiones,

nitiones, interciderint. Colitur a Raſcianis Germanisque, nuper eo deductis.

(e) *Facsád,* caſtrum nobile, a meridie Lippenſi obiacet. Edito monti impoſitum eſt, qui amoena circum planitie ſuffuſus, conſpicitur. Dolendum, ex tantis conuerſionibus, pauca munitionum ſupereſſe veſtigia.

(f) *Orſoua,* locus, iam Romanorum temporibus munitiſſimus. Duplex antiquis Orſoua fuit; Moeſiae altera, altera Daciae. Vtriusque loci mira eſt amoenitas. & naturalis quaedam, accedente Danubio, munitio. Princeps EUGENIUS, poſt vltimam a Turcis recuperationem, nouis operibus, adeo eam communiuit; vt, vaſta, iam mole, Danubio dominetur. Raſciani plerique ciues ſunt; quibus, & Germani, Valachis quoque admiſſis, intermiſti ſunt.

6. Oppida plura antehac, pauciora hodie, coluntur. Sunt autem.

(a) *Becskerek,* inſigne olim oppidum, arce communitum valida, cingitur lacu, quem, amnium aliquot concurſus, efficit. Oppidum iam tenue eſt, arx autem demolita penitus.

(b) *Betſe,* ſitu & origine, priori illi adfine. Munitum aliquando; nunc in vicum, bellorum iniuria, degenerauit. Coloni Raſciani ſunt.

(c) *Verſchez*, monti ſubiacet, eiusdem nominis, campo hilari commodoque. Raſciani habitant, cum delapſis eo, non ita pridem, Germanis.

(d) *Lugos*, celebre oppidum, ita priſcis temporibus, munitionibus cinctum; vt potuerit, omne negotium, hoſti faceſſere. Non decliui enim modo, inter ſiluas poſitu; ſed, humido etiam lacuſtrique terreno, reſedit. Nunc iterum, poſt frequentes hoſtium incurſiones, & Germanorum, & Raſcianorum Valachorumque, acceſſu increſcit; qui quidem, & excolunt oppidum, & conſulunt rei ruſticae.

(e) Ca-



(e) *Caranſebes*, Romanorum olim colonia. Celebris vrbecula fuit, fluuio eiusdem nominis arcte adpoſita. Nunc, poſteaquam Turcarum iniquitati ceſſiſſet, ſaepius exſurgit denuo.

(f) *Cſákovár*, &

(g) *Almás*, tenuiora ſunt; & illud quidem, Generalis olim MERCII ſeceſſu; iſtud, frequentia ſua inſigne. Iam ambo, vicis adnumerantur.

7. Vici regionem plures inſedere; qui tamen, aut euaſtati iam bellis ſunt, aut penitus nudati incolis. Qua propter, etiam plerorumque nomina, dudum iam intercidere; vt, noua ſubinde vicis, nomina fingi, ſubaudias.

8. Gubernium tantae prouinciae duplex eſt, militare aliud, aliud oeconomicum. Quae ad militaria pertinent, ſummo Banatus Duci; quae vero ad oeconomica, Camerali ſubſunt adminiſtrationi, quae ſub praeſidio ſummi Ducis eſt. Conſtat autem, Adminiſtratore & Conſiliariis aliquot, tanta haec adminiſtratio. Ciuilia hi, criminalia Senatus bellicus expedit.

## §. II.

COMITATUS CSANADIENSIS, Hungaris *Cſanad Vármegye*, Germanis die Tſchanader Geſpanſchaft, nomen a Cſanad vrbe Epiſcopali accepit.

1. Tota regio, vaſta hilarique planitie, diffunditur Maruſio amne praecincta. Maior multo fuit, extenſaquę longius, antequam, eximia ſui parte, Temeſienſi Comitatui adſerta, priuaretur. Terminos, nouis iam circumſcripta finibus, a *meridie* Maruſium; Aradienſem Comitatum, ab *oriente* accepit; *ſeptentrionale occidentaleque* latus prouinciolae, Zarandienſis Bėkeſienſisque regio, incingit.

2. Incolas, poſt Turcarum illud iugum, pace Carlouitzenſi excuſſum, *Hungaros* habet. Interſunt his & *Graeci*, mercatus cauſſa ſedem hac regione ponentes, *Raſciani* certe pauciſſimi ſunt.

3. Fertilitatis, non poſtremam, eo quod planitie ampla

pla teneatur, meretur laudem. Frumenti enim & vini nobilis, prouentum eximium ſuppeditat. In primis ad Makó oppidum, praeclari guſtus vinum reperias. Montes non multos habet; habet vero colles, hinc inde adſurgentes. Armentis proinde educandis, commodiſſima eſt regio. Nam, hinc inde, ſiluas etiam haec regio habet, querneis arboribus conſitas. Feras hic locorum fruſtra quaeſiveris.

4. Totus quantus eſt Comitatus, eſt autem exilis, quippe ſi Cſanadum excipias, vix alterutro vico cultus, a partitione in Proceſſus immunis eſt.

5. Vrbs & arx, quae prouinciam inſedit, vaſta olim, hucdum etiam epiſcopalis, *Cſanadum*, Hungaris, Germanis & Slauis *Cſanad* dicitur. Hanc, Maruſius non adluit modo; ſed immiſſis etiam, in foſſarum abdita, aquis, egregie communit. Illuſtris eſt ſede Epiſcoporum Cſanadienſium, quam S. STEPHANUS huc collocauerat. Pertinet vero ad vrbis celebritatem, id etiam: quod, non Comitiis modo frequentata fuerit antehac; verum tumulum etiam LADISLAO Cumano Regi, ſuppeditarit. Accidit huic, quod plerisque, barbarorum immanitate, vrbibus: vt, moenibus denudata arceque priuata, ſedem Epiſcopo, ob tenuitatem ſuam concedere hucdum non potuerit.

6. Oppidum, vnum modo Comitatui, quod ſcimus, ineſt; cui nomen *Makó*. Situs id opportunitate paucis cedit. Praeterquam enim, quod ad Maruſium amnem accedat propius, fertili etiam ſolo, colonorumque copia, gaudet. Nunc ditioni Cſanadienſis Epiſcopi ſubeſt.

7. Supremus Comes, isque perpetuus, Epiſcopus Cſanadienſis eſt. Hodie, FRANCISCUS ANTONIUS Comes ENGEL de Vagrain.

§. III.

COMITATUS ARADIENSIS, ſeu ORODIENSIS, Hungaris *Arad Vármegye*, Germanis die Arader

Geſpan-



Geſpanſchaft, nomen a munimento Arad accepit.

1. Cis Maruſium, fines Tranſiluaniae occupat, magna ſui parte, vltra flumen, quae Temeſuaro acceſſit, priuatus. Longior ergo, quam latior, multo eſt prouincia. A Cſanadienſi enim Comitatu, vsque ad Tranſiluaniam pertinet, in *orientem*; in *ſeptentrionem* ac *meridiem*, eo vsque protenſus, dum Zarandienſium adtingat limites. Ceterum, ita comparatus eſt: vt, planus parte altera; altera montibus inſeſſus, merito dicatur. Fluuio vno admodum *Maruſio* rigatur.

2. Qui regionem habitant, *Valachi* ſunt & *Raſciani*, bellis potiſſimum ciuilibus, de Hungaria optime meriti. His & *Hungari Germanique* acceſſerunt, vltra modum tamen infrequentes.

3. Terrenum fertile eſt vbique, ac omni fere *frumenti* genere, abundans. *Vitem* Valachi potiſſimum excolunt, prouentu vbere; quin Hungari etiam, aliique incolae, eadem hac vite, quaeſtum facere incipiunt. Minori iam opera, rei *pecuariae* incumbunt, quod & profectus exigui ſit, & generis gracilioris. *Ferarum* ſumma vbique copia; quam olim, hibernantium militum libertas, reſtrinxerat.

4. PROCESSUS Regiunculae duo ſunt:

(a) *Aradienſis*, arce & oppido cognomini, prope Maruſium circumfuſus.

(b) *Tot Váradienſis*, orientaliorem plagam, aduerſo amne eodem, verſus Tranſiluaniam complexus.

5. Arcibus inſidebatur prouincia, ante nobiliſſimis, in quibus numerantur.

(a) *O-Arad*, Latinis *Arad vetus*, in ripa Maruſii, capitulo olim inſigne fuit. Cum Turcae, totam regionem inundaſſent: limitaneum propugnaculum praebebat arx, munitis aliquot ſuggeſtibus inſtructa. Nunc, poſt vltimam a Turcis recuperationem, ruere incipit; vt, praeter rudera, ni-

hil

hil amplius videas. Eo celebranda hucdum eſt, ſepulchrum praebuiſſe eam, fortiſſimo Hungarorum Regi BELAE II. quod tamen obtritum penitus iam eſt; arx etiam vico ſimillima.

(b) *Uj Arad*, Latinis *Arad recens*, antiquis *Orod*, milliari vno, a priori illo, in occidentem ſubmotum eſt. Turcis ſuas debet origines, EUGENII demum Principis, prouidentia communitum. Propugnaculum ipſum quadrangulare eſt, vallis profundioribus vndiquaque circumdatum. Habet & ſuburbia duo, longius ab arce reiecta.

(c) *Solymos*, exiguo Lippam verſus intervallo, alto monti inaedificata, celebris olim fuit. Nam, Turcarum obſidiones, reiecit ſaepius. Ceſſit demum temporum malignitati: cum abiiſſet in rudus, adeo; vt quinquaginta militum praeſidio iam teneatur.

(d) *Tot Váradya*, limitibus olim, contra Turcas non modo, quam Tranſiluanos etiam, tutandis erectum. Rudus arcis, in vicum hodie abiit, haud ignobilem.

6. Oppida, pauca hoc Comitatu ſunt, atque in iis potiſſimum:

*Radna*, quod, in margine Maruſii amnis, Lippae obuerſatur, magnas calamitates, frequentibus Lippae obſeſſionibus, a Turca ſuſceptis, pertulit. Coniici ergo facile poteſt, quantum ei iam, & a frequentia, & ab elegantia priori, deceſſerit. Hodie, FRANCISCUM III. Ducem Mutinenſem, Dominum reueretur.

7. Adminiſtratio huius, fuit olim penes militares, iuxta & Camerales Magiſtratus. Iam tamen Supremo gaudet Comite, GEORGIO FEKETE, qui eſt Perſonalis Praeſentiae Regiae in iudiciis Locum tenens.

§. IV.

COMITATUS ZARANDIENSIS, Hungaris *Zaránd Vármegye*, Germanis die Saránder Geſpanſchaft,

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára Székelyudvarhely



ſchaft, cui, oppidum celebre, nunc vicis adnumeratum, Zaránd, nomen impertiuit.

1. Longo is tractu, duodecim fere milliarium, a Tranſiluania Tibiſcum verſus, decurrit; finitimis, ab *oriente*, Tranſiluanis; Békeſienſibus, ab *occidente*; a *meridie*, Aradienſibus; Biharienſibus denique, a *ſeptentrione*, *illum terminantibus*. Planities mera, praeter aliquot Carpathi iuga, in Békeſienſium limitibus, regionem occupat. Fluuiis duobus, *Chryſiis* nempe, quos aurum vehere diximus, rigatur. Vid. Part. I. Generali §. 20. de Fluuiis pag. 9.

2. Colonias *Valachorum* accepit, praedationibus potiſſimum deditas; quin, *Hungaros* etiam colere ſcimus; qui tamen & agriculturae impendunt operas, & viuunt tranquilli.

3. Non exiguam quoque fertilitatis gloriam, habet regio. Praeterquam enim, quod *frumenti* genera omnia ferat ſolum, *vinum* etiam protulit antehac, ad Ienő oppidum, adeo quidem & copioſum & nobile; vt ab illius celebritate, Boros-Ienő diceretur. Nunc, ſegnius iam vitis tractatur. Pecora, per montium abdita, proficiunt egregie; vt, *ferarum*, & auium ſilueſtrium, taceam vbertatem. Habet, praeter haec vitae ſuſtentandae commoda, *metalli* etiam *fodinas*, in Tranſiluaniae finibus. Chryſii amnes, arenam certe auream ſuppeditant; quae lauata, puriſſimum nobiliſſimumque aurum, praebet.

4. Quatuor definitur PROCESSIBUS, qui nomina, ab oppidis & arcibus, mutuarunt. Nominantur autem:

(a) *Zarandienſis*, qui, vicum cognominem, circumſedit.

(b) *Ienőienſis*, caſtro & oppido eiusdem nominis, circumfuſus eſt.

(c) *Halmágyenſis*, ab oppido, quod laxe ambit, ſic adpellatus.

(d) *Bradenſis*, eadem ratione, ab oppido ſic dictus.

5. Praecipuas has fere arces dixerim:

(a) *Boros Ienő*, arx bello Turcico, egregie munita, nunc diruta penitus. Oppidum adiacens, copioſum hodie etiam eſt. Occupabat etiam arx diruta, Chryſii albi ripas, quatuor inſtructa propugnaculis.

(b) *Doſzna*, montem inſedit, exſurgentem altius. Vicina haec, & fatis priori fuit, & ſitu. Hodie, & rudera difficulter conſpicias.

(c) *Világos-Vár*, petram excelſam occupat, non procul a Méhes Quod nomen, originem Hungaricam indigitat. Budam inde, ſereno coelo, licet conſpicere. Suis iam ruinis ſepulta eſt.

6. Oppida Comitatus ſunt:

(a) *Zaránd*, metropolis olim, vnde etiam prouinciae nomen. Nunc vicus eſt.

(b) *Simánd*, vaſtum copioſumque oppidum, colonis Valachis cultum, in via regia ſedet.

(c) *Boros Ienő*, arci cognomini adpoſitum, iisdem cum arce fatis conflictabatur, de quibus ſupra.

(d) *Pankota*, caſtello ornatum fuit; quod tamen Turcarum incurſationibus interiit. Ipſum oppidum, ita flore priſtino denudatum eſt; vt vicis Fiſci Regii accenſeatur.

(e) *Halmágy*, frequens alioquin, in finibus Tranſiluaniae oppidum. Caſtellum olim adpoſitum, muris foſſisque cinctum fuerat. Iam, & hoc decore, & frequentia priſtina, priuatum oppidum eſt.

(f) *Brád*, in ipſos Tranſiluanorum limites, reiectum eſt, coliturque ab Hungaris.

7. Supremum Comitem quod adtinet: Dominus GREGORIUS BARCZAY eſt, neque tamen iure haereditario.

§. V.

COMITATUS BÉKESIENSIS, Hungaris *Békes Vármegye*, Germanis die Bekeſcher Geſpanſchaft, ita dictus a copioſo oppido Békes.





1. Situs regionis planus quidem, paluſtris tamen eſt, Biharienſi hinc ab *oriente*; ab *occidente* illinc Cſanad & Cſongradienſi, prouinciis contiguus. Pars quae *meridiem* adſpicit, Zarandienſi & Aradienſi; quae *ſeptentrionem*, Heueſienſi partim, partim Biharienſi Comitatibus, eſt confinis. Tres ceteroquin *Chryſii* Comitatum perluunt; vsque dum ii, in Cſongradienſium terminis, Tibiſco accedant. Silueſcere pauca hac regione videas. Incolae ergo, *lignatione deſtituti*, arundine & armentario fimo ſicco, lignorum loco, vti conſueuerunt.

2. Incolae *Hungari*, maximam partem, hac regione reſederunt. *Valachi* & *Raſciani*, pauciores ſunt; quos *Slaui*, frequentia antecellunt, ſummam diligentiae laudem dudum iam meriti. Nuper, & *Germanos* Haruckeriana Dominatio accepit, qui tamen, inſueti aeris Hungarici, plurimi interiere iam; pauciſſimi adhuc Gyulam inhabitant.

3. Agri ingenium nobile eſt, *tritico* in primis amicum; *paſcua* aeque commodiſſima ſuppetunt. Quare innumeros etiam *armentorum* greges ſuſtentant incolae. *Vinum*, praeter Gyulenſe illud, non adeo nobile, prouenit. *Ferarum*, *auium*, *piſcium*, quin *fructuum* etiam omnis generis, ſumma hac regione, vilitas eſt.

4. Quod nondum inſtauratus erat vicorum numero: olim partitionem haud admiſerat. Iam tamen diuiditur in PROCESSUS duos.

(a) *Békeſienſis*, occupat regionem orientalem, ad Comitatum Zarandienſem porrectam.

(b) *Cſabenſis*, excurrit per regionem occidentalem, verſus Cumaniam Maiorem.

5 Arx, praeter *Gyulam*, Comitatui nulla ineſt. Munitiſſima haec ſuo tempore fuit; nunc inermis eſt. Lacui Sárkád, Tranſiluaniam verſus, accedit, foſſis cincta vndique validiſſimis. Ceſſit ſaeuitiae barbarorum, aliquoties; vsque dum noſtris denuo adſereretur. Supereſt hodieque arx interior, formae

quadrangulae, a praeſidiariis aliquot, ſumtibus Harruckeri, cuſtodita.

6. Oppida priuilegiis donata, duo reperias:

(a) *Gyula*, arci, de qua nunc dictum eſt, ſubnexum oppidum. Vrbs olim fuit, iisdem cum arce euentibus degenerans. Hungari, Raſciani Germanique, eam inhabitant, quos terrae Dominus, non ita pridem, eodem loco repoſuit.

(b) *Békes*, a quo regio integra nomen mutuauit, poſitum, inter lacus Chryſii amnis, accepit. Facile, copioſiſſimum hunc, tota prouincia locum dixerim. Nam, quod agro gaudet fertiliſſimo, in dies, plures eo demigrant Hungari.

7. Supremi Comitis dignitas, hac ora, oblata eſt FRANCISCO L. B. ab HARRUCKERN, Camerae Aulicae Conſiliario.

§. VI.

COMITATUS BIHARIENSIS, Hungaris *Bihar Vármegye*, Germanis die Bieharer Geſpanſchaft, nomen a Bihar caſtro antiquo, ea iam aetate acceperat, qua Ducatus inſigniebatur cognomine.

1. Longe lateque continua propagatus planitie, in tractu *aquilonari*, Szabolcſenſi & Szathmarienſi Comitatibus, terminatur. Vnde, in contiguas oppoſitasque conuerſus plagas, in *ortu* quidem, tractum Kraſznenſem & Tranſiluanicum; in *meridie*, Zarandienſem & Békeſienſem agrum; in *occaſu*, Cumaniam Maiorem, limitibus ſuis contingit. Conſedit in vaſta & aperta regione, quae, in tractu occiduo ſilueſcit, vsque ad Tranſiluaniam extenſa. Transmittit, delapſos ex montibus Tranſiluaniae, amnes maiores duos, & quidem *Berettyó*, per mediam; *Chryſium* per oram auſtralem; qui, crebrioribus, quoties accidunt, aquarum exundationibus, loca paluſtria, poſt ſe relinquunt.

2. Incolae, qui regionem campeſtrem inſederunt, *Hungari* ſunt; iique, omnium in regione Trans-Tibiſcana, & quoad antiquos gentis mores, & quoad linguae



linguae caſtitatem, cum Szaboltſenſibus, cultiſſimi. Montes & ſiluas *Valachi* tenent, non ſolum morum aſperitate, verum, diuerſa etiam vitae ratione religioneque, longe a prioribus diſcreti. Sunt, namque, Graeco ritui, ſecundum orientalium Chriſtianorum inſtituta, addicti.

3. Ager prouinciae, natiuo ſubactus nitro, & propterea, qualibet ſui parte fertilis, *frumento paſcuisque*, &, vbi campus in colles eleuatur, *vitibus* quoque luxuriat. Commodus, itaque eſt, rei frumentariae, vineaticae, ac pecuariae, qua induſtrii occupantur coloni; cumprimis in praediis, quae villatico deſtinata ſunt vſui.

4. Diuiditur, pro adminiſtrationis ratione, in PROCESSUS quatuor, qui partim a loco, quo poſiti iacent; partim ab oppidis, denominantur.

(a) *Bellényes Proceſſus*, auſtralem occupauit partem, in Tranſiluaniae finibus, & Zarandienſis atque Békeſienſis Comitatuum collimitio.

(b) *Varadienſis Proceſſus*, medio poſitus loco, Tranſiluaniam in ortu, Cumaniam Maiorem in occaſu, reſpicit.

(c) *Sár-Réttye Proceſſus*, a Cumanis Maioribus, ad limites Zabolchenſium, in plaga occidentali, excurrit.

(d) *Er Mellyéke Proceſſus*, Szathmarienſis atque Kraſznenſis Comitatuum regioni, in aquilone ſubeſt.

5. Vrbs libera atque regia, ſola eſt, *Debreczinum*, *Debreczen*, ingentis magnitudinis, in agro frumentario paſcuisque laeto poſita, & anno 1724. in numerum liberarum ac regiarum vrbium cooptata. Eminet ea, inter cetera regionis oppida, non minus incolarum frequentia, opificiis, negotiatione; quam, Dicaſterio forenſi Trans-Tibiſcano.

6. Arces & munitiones, perpaucae, in prouincia campeſtri eminent.

(a) *Nagy Várad*, *Varadinum Maius*, munitio eſt valida,

valida, iuris Epiſcopalis, ad amnem Chryſium, reliquiis diui LADISLAI Regis, e quibus cranium Iaurinum eſt translatum, ſede Epiſcopali, & Collegio Sacerdotum Canonicorum, celebrata.

(b) *Biharia, Bihar*, caſtrum in ruderibus, vetuſtate nobile, nomen Comitatui conceſſit.

(c) *Székely-Hida*, munitio, ad tutandum ſuper amnem Berettyó pontem, opere militari excitata, deſolata iacet.

(d) *Szent Iób, Fanum S. Iobi,* Abbatiae B. Virginis ſacrum, formam arcis, vel, ſudibus atque aggere circumdatae munitionis, repraeſentat.

7. Oppida, frequentis coloniae, complura numerantur; quorum praeſtantiora ſunt:

(a) *Varadinum Nouum*, amne Chryſio, a munitione huius nominis, ſeiunctum in tria diuiditur oppida; quorum primum, ab Epiſcopo, cui paret, *Püſpöki-Várad*, Epiſcopale Varadinum; ſecundum, a colonia Valachorum, *Oláſzi-Várad*, Valachicum Varadinum; tertium, a praeſidio militari, *Katona-Város*, Militare oppidum cognominatur.

(b) *Biharia, Bihar*, oppidum caſtro cognomini adiectum.

(c) *Telegd*, iuribus Abbatiae aliquando celebratum.

(d) *Cſatár*, mediocris formae.

(e) *Böſzörmény*, a Rátz Böſzörmény, oppido Haidonicali, diuerſum.

(f) *Bellyénes*, a quo, Proceſſus huius cognominis, adpellatur.

(g) *Micske*, in tractu Sár-Réttye, oppidum præcipuum, & copioſum.

(h) *Dioſzeg*, in Proceſſu Ér-Mellyéke, amplum & frequens oppidum.

8. Thermae, quae ad Comitatus pertinent commoditatem, duplici fonte, in agro Varadienſi, vno ab oppido milliari remotae, apud *Hajo* & *Szent-Már-*

*ton*



*ton* vicos, ſcaturiunt. Quarum priores, poſterioribus, natiua praeſtant virtute ac efficacia.

9. Supremi Comitis dignitas, iure antiquo ac perpetuo, conceſſa eſt Epiſcopis Varadienſibus. Inter quos, hodie, PAULLUS e Comitibus FORGÁCS de Ghymes, Praeſul, & Eccleſiam & Comitatum, feliciter adminiſtrat.

§. VII.

COMITATUS KRASZNENSIS, Hungaris *Kraſzna-Vármegye*, Germanis die Kraßner Geſpanſchaft, cui, oppidum Kráſzna, nomen impertiuit.

1. Exilis autem regio eſt; quippe duobus ſolum milliaribus procurrens. Latitudo, certe, qua maxima eſt, vix medium efficit. Ab *ortu*, montibus Méſzes, Hungariae a Tranſiluania diſcriminatoribus; Comitatu Szolnok Mediocri, a *ſeptentrione*, intercluditur. Ad *meridiem* vero, ſolisque *occaſum*, Biharienſis prouincia terminos ponit. Montibus altis, prae reliquis Hungariae prouinciis, maxime celebratur. In quibus recenſendi ſunt, *Méſzes, Réſz, Zalnyk, Somlyó*. Qui ſinguli, mox adſurgunt altius, mox leniter decliues eſſe incipiunt, amoena quadam pratorum ſerie, quam fluuii crebriores pertranſeunt, conſpicui.

2. Suas, hac regione manſiones, *Hungari* fecere, quibus intermixti paſſim, & *Valachi* ſunt, Graeci ritus. In Hungarorum regionis huius, laudibus, id maxime ponitur, quod hoſpitalitatis iura ſancta habeant. Tanta enim, profecto, apud eos hoſpitalitas eſt: vt nulla, ferme tota regione, diuerſoria reperias.

3. Ager prouinciae, *triticum* inprimis *frumentumque Turcicum*, liberaliſſime educat, *vinum* etiam, ſalubre non minus quam copioſum. *Pecuaria*, ob vſum magis quotidianum, quam quaeſtus gratia, curatur. In montibus illis, quos ante iam nominauimus, *linces* deprehendas. Ad montium Somlyoienſium fines, *lacus* viſitur, admirandae indolis, immenſae

 pre-

profunditatis; qui balneis etiam adhibebatur, effe-ctus ſalubri. Hodie, arundo lacum obtegit.

4. Conſtat regiuncula PROCESSIBUS duobus, quorum hae ſunt adpellationes:
   (a) *Superior*, qui circa fontes Kraſznae amnis eſt, montibus Carpathicis, cum innexus, tum ſubſitus.
   (b) *Inferior*, qui ſe, verſus Comitatum, qua Bihar-rienſem, qua Szólnok mediocrem, ſinuat.
5. Arces, immo veſtigia ſolum arcium, hac regione viſuntur.
   (a) *Somlyo*, monti arduo, cui Várhegy nomen inſedit. Inſigne aedificium fuiſſe, ruinae condocent, quod, ad Bathoreas, nonnulli, origines referunt.
   (b) *Valkovár*, incolarum olim Comitatus, tumultibus barbarorum, perfugium. Radicibus montis Réſz, de quo ſupra meminimus, loco praecipiti impoſita fuit. Iam ruinis ſepulta iacet.
6. Oppida prouinciolae haec fere ſunt:
   (a) *Somlyo*, arci, de qua nunc diximus, adiectum eſt, totius regionis princeps oppidum. Praeter ſummam, enim, loci opportunitatem, frequens etiam incolitur. In ſummis eius laudibus ponitur: quod, Nobiles illos Bathoreos Principes, dederit.
   (b) *Kráſzna*, & id quidem copioſum antea, nunc tamen, temporum iniuria, adeo exinanitum, incolis: vt, vix oppidum, dici queat. Secedit Somlyoino, vno in orientem milliari.
   (c) *Nagy-falu*, tota hac regione locus facile frequentiſſimus, accedit ripae Berettyó amnis, qui Comitatum, inde a Biharienſium finibus, perluit. Incolae, maximam partem, Hungari ſunt.
7. Supremus Comes, LADISLAUS è Comitibus BÁNFFY de Loſonts, eſt, dignitate heic loci ambulatoria.

§. VIII.



§. VIII.

DISTRICTUS KŮVÁR, adpellationem ab arce montana Kůvár habet.

1. Et hic quidem, quantuſcunque eſt, eſt autem ſex milliarium in *longitudinem*, in *latitudinem* quatuor, diffuſus, montoſam regionem occupat. Coercetur a *ſeptentrione*, Comitatu Maramaroſienſi; Szolnok mediocri, a *meridie;* ab *oriente* Tranſiluania; Szathmarienſi denique Comitatu, ab *occidente*. Qua montes deſinunt, amoeniſſimam planitiem, arctam licet, inire videas, agris pratisque conſitam vberrime; quam, riui etiam aliquot, e Tranſiluania egreſſi, irrigant.
2. Coloni diſtrictus, *Valachi* ſunt, copioſiſſimi; multo pauciores, contra, *Hungari*. Qui, quos a priſcis Hungaris accepere mores, ac vitae genus, hucdum tenaciſſime retinent. Illi, contra, latrociniis incumbunt perpetuo. Ita, barbaram gentem dixeris.
